

TESTIMONIA
EX CATHOLICÆ ECCLESIAE,
ET SUMMORUM PONTIFICUM
ORACULIS,

Atque sapientissimorum et probatissimo-
rum virorum scriptis pro commendatione
Doctrinæ Angelici Doctoris S. Thomæ
Aquinatis undique decerpta , atque
in unum collecta.

AUTHORE

R. P. F. ANTONIO MICHAELI JURAMI,
Sancti Inquisitionis Officii in rebus Fidei
Censore , Examinatore Synodali hujus Ar-
chiepiscopatus Toletani , ac in Matritensi
S. Thomæ Conventu Studentium
Magistro.

Nunc primùm typis edita curâ ac impensis
Emmi. D. D. Francisci Antonii Lorenzana
S. R. E. Presbyteri Cardinalis , Archie-
piscopi Toletani , Hispaniarum Primatis,
&c. &c. &c.


S. C. M. Permissu.



MATRITI MDCCCLXXXVIII.
Apud viduam D. Joachimi Ibarra.



T-1031016



PRÆFATIO.

Elogia Viri præstantissimi , cuius doctrinæ ac sanctitatis fama per omnium ora undique volitat , in unum opus colligere si cui fortè supervacaneum videatur , is profecto sciat me in eâdem mansurum sententiâ , si authores eruditissimi , iique emunctæ naris , qui D. Thomæ encomia vel à se prolata , vel ab aliis celebrata con gesserunt , eâ , quâ decet , extensio ne , ordine , methodoque , proposuis sent. At vero , cum hi , qui censoria pollebant arte , curis diversis aliò distracti officium encomiastæ suscipere detrectassent , neque vero pos sent nisi à suscepti operis proposito recederent , contraque qui paullo fu sius Div. Thomæ laudes sunt prose cuti inter plura indubitataque testi-

monia nonnulla anilibus fabulis ad-
jungenda retulerint, et quæ ulterio-
ri commendatione non egerent, inor-
dinatè proposuerint: rem absdubio
viris doctis gratam, piis jucundam,
omnibus utilem me facturum existi-
mavi, si judicium veterum, recen-
tiorumque litteratorum de Div. Tho-
mæ doctrinâ in unum opus collige-
rem, ut uno veluti intuitu, qualis
quantusque Doctor iste fuerit, univer-
so orbi litterario innotesceret. Ne ve-
ro fucum facere videar, nævumve
aliquem Aristarchus, vel rugatioris
frontis, erectiorisque supercilii se de-
prehendere glorietur, id profecto
curavi ne quid exscriberem, quod
probatæ fidei authorum testimonio
non esset comprobatum, devitans cre-
dulitatem cœcam, quæ omnia sine
delectu recipit, perinde ac nimiam
justumque limitem prætergressam cri-
sim, quæ de omnibus dubitans, et

ideas confundit , et potius ad destruendum quam ad ædificandum inservit. Minimè tamen lector existimet se in hoc tantillo opere reperturum, quidquid de Div. Thomæ doctrinâ retro quibusque sæculis pronuntiatum est ; laudes ejusmodi , ut verum fatear , neque ingentia volumina capere possent ; hîc tantum quædam transcripta sunt, quæ sufficere queant, ut et præsentium sciolorum calumnia et libertinorum confundatur perfidia, dum intelligent cœlestem Div. Thomæ doctrinam eamdem ac Ecclesiæ esse , neque ullos pati posse adversarios , nisi qui et Ecclesiæ hostes, et Religionis insidiatores , et Reipublicæ inimicos , et veritatis æmulos et rationi contrarios se esse demonstraverint. Hinc ne aliquibus suspicio forte subrepat allatorum testium, perpaucos Familia ex dominicana AA. referimus , eosque tantum ingerimus,

quorum antiquitas , scientiæ laus,
præclaraque de Republica litteraria
merita extrâ aleam commendant. Fa-
xit D. O. M. ut opus hoc æqui bo-
nique consulant eruditî , quod pro
Dei gloria , veritatis defensione , to-
tius Regni utilitate susceptum est.

DIVISIO OPERIS.

Cum vero scripturæ hujus scopus
sit quanti ab omnibus retro sæculis
à morte Doctoris Angelici S. Tho-
mæ ad nos usque doctrina ejus ha-
bita sit , tum ab Ecclesia universali,
tum à Romana Sede , tum à Con-
ciliis , Academiis , necnon à viris
quibusque illustribus ob oculos po-
nere ; fortassè ab aliquibus id solum
expediens judicari posset , ut juxta
ordinem chronologicum commendatio-
nes ejusmodi proponerentur. Hoc
equidem et mihi primum arrisserat,
et ita agere paratus eram , cum su-

periori præcepto hoc opus aggressus fui. Verum enim vero cum postmodum tacitus apud me considerassem, si hujusmodi chronologicus ordo adamussim observáretur , et obscuritatem, et non parvam confusionem ortum iri ex promiscuâ mixtione Sedium, Institutorum, et Virorum qui prædictæ doctrinæ elogia concinnarunt ; expeditius fore existimavi , si authores omnes in certas classes distinguerem, unumquemlibet tamen in propria sede ex ordine collocarem. Ita enim fieret , ut Lector facillimè , quemcumque vellet , invenire , et memoria tenacius retinere posset. Hac mente, sanoque consilio in octo classes Encomiastes Div. Thomæ partitus sum.

Primum locum tenent Christus Dominus , Beatissima Virgo , cœlestesque cum Christo regnantes qui in patria collocati testimonium D. Thomæ dederunt.

Secundum Ecclesia universalis
habbit.

In tertio oracula Sedis Apostoli-
cæ proferentur.


In quarto Conciliorum præsertim
Œcumenicorum encomia recitabimus.

Quintum locum occupabunt Orbis
Universitates seu Academiæ.

In sexto Ordines Religiosi sedem
habebunt.

In septimo Cardinalium , Episco-
porum , aliorumve Prælatorum , Theo-
logorum , Juris utriusque peritorum ,
Philosophorumque dicta referentur.

Et ne aliquid ad absolutam com-
mendationem desit , etiam Hæreticos ,
qui doctrinam Div. Thom. laudibus ex-
tulerunt, octavo in loco compilabimus.
Ita enim fiet , ut nedum ex Filiis ma-
tris suæ , scilicet Ecclesiæ Catholicæ ,
sed etiam ex alienis testimonium acci-
piat sempiternum. Age ergo , et quod
primo loco promisimus impleamus.



CAPUT I.

Christi Domini , aliorumque cœlitum oracula.

§. I.

Christi Domini approbatio.

Et quidem si testimonium hominum accipimus , testimonium Dei majus est , inquit Evangelista Joannes (1). Deus enim nec falli , nec fallere potest ; quod si , et Summæ Veritati falli , et Bonitati Summæ fallere penitus repugnat , profecto nec alieni mendacii testem fieri posse credere fas est : atque adeo verum esse oportet , quidquid divino ejus eloquio comprobatur. Hic ergo Deus verax testimonium perhibet Ang. Præcept. doctrinæ dum Crucifixi ore hæc protulit

(1) Primæ Joan. cap. 5.

verba : *Benè scriptisti de me , Thoma;*
 quibus quidem verbis semel atque ite-
 rum Christum Dominum eum fuisse
 alloquutum , ex historia novimus : pri-
 mūm cum esset Luthetiæ Parisiorum:
 „Cum enim ibi difficilis circa Eu-
 charistiam oborta esset quæstio , con-
 veneunt DD. quod determinatio illa
 tenenda esset , quam Frater Thomas
 diffiniret : Qui rem hanc multum
 Deo commendans , id quod scripse-
 rat de illâ quæstione posuit super
 altare , et ad Crucifixum orans pe-
 tiit ut dignaretur ostendere , si illa,
 quæ scripserat , vera essent , ut ad
 ejus gloriam et utilitatem nostram
 vulgarentur ; cumque talia oraret ,
 quidam Fratres , qui venerant cum
 socio suo ad observandum eum , su-
 bito viderunt Christum ante ipsum
 super quaternum , quem scripserat ,
 stantem , et ipsi Fratri Thomæ di-
 centem : *Bene de hoc mei Corporis*

Sacramento scripsisti , et de quæstione tibi proposita bene et veraciter determinasti , sicut in via ab homine potest intelligi , et humanitatus diffiniri: Cum autem Christus sic loqueretur cum Fratre Thomâ , ipse delectatus de tali visione et loquutione subito elevatus est in aere per unum cubitum , sicut viderunt omnes qui ibi aderant.” Ita ad verbum habet historia Guillielmi de Thocco , qui ipsum Sanctum Doctorem et præsentem audivit , et viventem novit (1).

Iterum Christus Dominus divino suo ore non aliquam determinatam quæstionem , sed indefinite et generaliter doctrinam scriptaque Div. Thom. approbavit , quod idem Guillielmus his verbis refert . “ Cum Neapoli degeret Frater Thomas , Sacrista Conventus , qui vocabatur

(1) Thocco vita S. Thomæ. p. 7. 8. 9. apud Bollandum ad diem 7 Martii.

Frater Dominicus Caserta , qui licet conversus (id est Laicus) tamen devotissimus erat , et Deus multa sibi revelavit , voluit observare Fratrem Thomam quomodo orabat , et ecce retro in Capellâ S. Nicolai ubi fixus in oratione manebat , vidi ipsum quasi duobus cubitis elevatum in aere , et admirans et diu spectans ipsum cum lachrimis orantem , subito audivit de loco ad quem conversus erat adorandum , de imagine Crucifixi Christum sibi loquentem et dicentem , *Frat-
ter Thoma , benè scripsisti de me ,
et quam mercedem vis tu recipere à me
de tuo labore ?* et Frater Thomas res-
pondit : *Dominenikil aliud nisi Te ,* (1).

Hujus Christi Domini approbationis certitudo nec à rigidissimis Aristarchis minui ullo modo potest , quam constans traditio firmat , historia omnium coævo- rum testatur , Ecclesia in officio D.

(1) Ibidem.

Thomæ inserit , Summi denique Pontifices suis diplomatibus comprobant. Sanctus Pius V. in Bullâ , quæ incipit : *Mirabilis Deus* (1). Indulgentias concessit orantibus in dicto Saccello S. Nicolai , vel ante imaginem Crucifixi à quo tale responsum Neapoli S. Doctor accepit. Clemens VIII. in duplici Bulla ad Neapolitanos directâ (2) eam refert et approbat. In prima enim sic dicit , “cujus (S. Thom.) doctrinæ tantum fuit tributum , ut Christianæ eruditionis suæ divinum etiam illud habeat testimonium , *benè scripsisti de me Thoma.* In secundâ vero ingentis numeri Librorum Div. Thomæ mentionem faciens addit», quos ille sine ullo prorsus errore conscripsit , et quos deinde conscriptos expressa Christi Domini voce comprobatos audivit.”

(1) Dat. ann. 1567.

(2) 1603.

Denum Sixtus V. in publicum rei testimonium jussit in Vaticanâ Bibliotheca depingi Div. Thomam sinistrâ manu Ecclesiam sustinentem , dextera vero , qua scripsit , magnum lumenis splendorem in eam ipsam Ecclesiam immittentem cum hac inscriptione : „S. Thom. de Christo scripta à Christo crucifixo probantur(1)“.

Cardinalis de Lugo vir in litteraria Republica notissimus cum docere vellet quâ veneratione suscipi à fidelibus debeant historiæ piæ communiter receptæ hanc pro exemplari posuit , inquiens : (2) „ temerarius est qui negat historias pias communiter ab Ecclesiâ receiptas , et propositas , v. g. quod Christus Beato Thomæ dixerit , bene scripsisti de me Thomâ. Cum etiam aliunde apud Fideles hæc approbatio doctrinæ Div.

(1) Ita refert Angelus. Roca in lib. de Bibliot. Vatic ; et de oper. Sixti V. pag. 236.

(2) Disp. 20. de Fide. sect. 3. num. 91.

Thom. à Christo Domino data adeo invaluerit, ut jam non simplici historiæ, sed Ecclesiæ Catholicæ traditione nitatur, et Apostolicæ Sedis acceptatione et publicatione confirmata sit, non nisi ingenti temeritate negari, aut in dubium revocari potest. Quis vero doctrinam hanc veram non dicet, quam veritas ipsa confirmat? verba sunt Joannis à S. Thoma (1).

§. II.

Beatissimæ Virginis Mariæ, aliorumque Cœlitum testimonia.

Nec minus illud est acceptione dignum quod Beatissima Divinæ Sapientiæ Mater, SS. Apostoli Petrus et Paulus, Angeli quoque sancti in conspectum Div. Thom. sese dantes nodos difficultatum solvebant, viamque veritatis ostendebant. Quod ab

(1) Tom. I. disp. I. art. 2.

Angelis aliquando illuminatus fuerit nemo dubitabit, si semel animo consperxerit fere quotidiam familiaritatem, frequentiaque illorum cum Div. Thomâ colloquia. Nec mirum , si ministerio Angelorum castitatem ad profectum proprium adeptus , ad Ecclesiæ utilitatem perfectionem scientiæ acciperet. Quin et inter alios Div. Vincen-
tius Ferrerius id affirmat, inquiens (1), quando sibi dubia occurrebant statim ab Angelo , seu Apostolis Petro et Paulo ei visibiliter apparentibus de dubiis certificabatur „.

Quod vero ab Apostolis Petro et Paulo edocitus fuerit, et omnium Scriptorum authoritas , et Clementis VIII. Diploma , et officium quod de ipso S. Doctore in ordine Præd. recitatur satis abundeque demonstrant cum enim multis diebus in afflictione spiritus permansisset, eo quod cujusdam

(1) Serm. 1. et 2. de Div. Thom.

loci Isaiæ Profetæ intelligentiam
haud capere posset , ut alter Daniel
prosternebat preces suas in conspec-
tu Dei sui , ad orationemque jeju-
num adhibebat , postulans ut sibi da-
retur intelligentia , et ecce in silen-
tio noctis Petrus et Paulus conve-
niunt , qui simul divina fantes mys-
teria ipsum et consolantur et ins-
truunt. Quæ omnia ex ore S. Thomæ
Frater Reginaldus Socius ejus
rescivit , datâ primum fide quod non-
nisi post ejus obitum aliis nuntia-
ret (1).

Alter hujus rei testis est Frater
Petrus de Aquila , qui in visione
aulum vidit Scholas Thomæ ingre-
dientem , cumque ab eo S. Doctor
quæreret , num in expositione suarum
Epistolarum verum sensum assequutus
fuerit , idem Apostolus respondit af-

B

(1) Ita S. Antoninus 3. part. historiæ tit.
18. cap. 10. §. 2. Surius ad diem 7. Martii.

firmsative quantum in hâc vitâ haberi potest (1).

Demum quod à Virgine Mariâ doctrina Div. Thomæ approbationem acceperit , ipsemet Doctor Sanctus testatus fuit , nam morti proximus Confessario suo Fratri Reginaldo dixit : „ Se Beatæ Virginis apparitione recreatum fuisse , atque ab illa hæc inter alia audivisse verba consolacionis plena, quod ejus scientia vera erat, et vita Deo grata (2).

Hæc aliaque ejusmodi testimonia et à Clemente VIII. et à Julio III. comprobata reperientur : ac primus quidem ad Neapolitanos scribens (3), cum de numero Librorum Div. Thomæ loqueretur , hæc adjungit , „ in quibus conscribendis interdum Apostolos Petrum et Paulum alloquentes,

(1) Castillo 1. part. historiæ cap. 33.

(2) S. Antoninus 3. p. hist. tit. 23. cap. 7. §. 6. Thoc. Castillo &c.

(3) Ubi supra.

Iocosque illi quosdam Dei jussu enarrantes habuit." Ubi et hoc quoque notandum est, Clementem VIII. non apposuisse vulgarem illam clausulam in revelationibus seu visionibus referendis à Summis Pont. apponi solitam (ut piè fertur), sed absolutè pronunciasse quod in prædictis verbis continetur. Etsi vero hoc in materia facti firmam certitudinem nullatenus præstet, summam tamen probabilitatem visioni , et approbationi tribuit. Alter vero , nempe Julius III. in Officio Div. Thom. pro Ordine Prædicatorum hæc in communi approbavit, dum responsorium quintum hujuscemodi verbis exprimi jussit." Felix Doctor , cuius solatio Angelorum servit attentio, Petrus, Paulus favent obsequio , Dei Mater mulcet alloquio".

Et quoniam Officii S. Thomæ mentionem fecimus , præterire haud fas est visionem illam in Responsorio

9.º indicatam (1), neque enim parum ad commendationem doctrinæ ejus deservit, eaque ab omnibus vitæ Ang. Doct. Scriptoribus unanimiter referuntur. Nam cum frater Albertus de Brixia diu desiderasset scire gloriam S. Thom. et semel ante altare B. Mariæ positus hoc ardentius postularet, vigilanti apparuerunt duo viri, unus in Pontificali habitu mithram habens in capite, alter in habitu Frat. Prædicatorum, qui coronam auream in capite habebat lapidibus pretiosis intextam, et circa collum duas aureolas quasi torques, argenteam unam, alteram auream, in pectore vero gestabat quasi magnum lapidem pretiosum, qui splendore mirabili plures radios emittens irra-

(1) Sertum gestans cum torque duplo, cappa gemmis ornata cernitur ex monili fulgoris cœlici lux emissâ Mundo diffunditur: Augustinus Fratri sic loquitur, Thomas mihi par est in gloria, virginali præstans munditia. Brevar. Ord. Præd. in officio Div. Thom. Bk. 9.

diare totam Ecclesiam videbatur : in cappa vero inserti per totam lapides pretiosi : qui stupens ad pedes eorum prostratus suppliciter petiit sibi declarari, quæ illæ personæ essent : tum ille qui mithram gestabat in capite inquit." Ego sum Augustinus Doctor Ecclesiæ qui sum missus ad declarandam gloriam S. Thomæ : is est qui mecum est, qui doctrinam meam et Apostolicam in omnibus sequutus est, et Ecclesiam Dei sua doctrina illustravit : lapis pretiosus in pectore tanto splendore enitens significat rectissimam intentionem quam habuit ad declarationem et defensionem Fidei: lapides plures pretiosi sunt libri quos edidit ; ipse igitur mihi par est in gloriâ , virginali me excedens munditiâ , et ego illum pontificali excellentiâ ; „sicque disparuerunt (1).

Neque verò cuiquam mirum vi-

B iiij

(1) S. Antoninus ubi supra.

deri debet si dum de cœlitibus sermo instituitur , alicujus etsi nondum ab Ecclesia Sanctorum albo adscripti in Patria tamen degentis testimonium proferatur : tale est illud Fr Romani Socii Discipulique S. Thom. ac in Parisiensi Cathedrâ Succesoris. Hic cum è vitâ sublatus esset , quodam die astitit coram S. Thomâ qui mortem ejus penitus ignorabat , postquam vero de ejus obitu instructus , quod ad statum animæ suæ attinebat ab eo requisivit , ad subtilem quasdam quæstiones investigandas animum applicans , Fr Romanum interrogavit , quomodo Deum videret , num immediatè in se ipso , num aliquo medio interveniente : cui ille verbis Psalm. 47. respondit inquiens : “ *sicut audivimus sic vidi-
mus in Civitate Dei nostri* ” quasi diceret , eo modo in cœlis video , quo à te in terris explicante audi-

vi (1). Qui attente prædicta verba animo perpenderit , haud equidem scio, num majus aliquod doctrinæ Div. Thomæ encomium requirere audeat , aut velit , cum ex his liquido constet S. Thomam rectè explicasse in terris arcana illa verba , quæ Paulus in cœlis audivit , et non licere homini loqui pronunciavit ; simulque homines docuisse , quæ juxta Isaiam nec oculus vidit , nec auris audivit , nec in cor hominis ascenderunt : qui autem cœlestia novit , nihil mirum si eum terrena etiam optimè percaluisse dicamus.



CAPUT II.

Ecclesiæ universalis Testimonia.

Post auditam Sponsi vocem æquum est , ut et ejus Sponsæ audiamus:

B iv

(1) Apud Boll. pag. 674. n. 46.

mirâ enim uniformitate concinit , néque aliud loqui potest , nisi quod Sponsum loquentem audierit : hæc est autem Ecclesia Catholica Sponsa sine macula et absque rugâ , Magistra veritatis , quæ per omnes terræ partes diffusa id ipsum sapit in Domino , et à cujus ore verba , quæ in eâ Dominus posuit , non recedent amodo usque in sempiternum. At vero quam magnum , quam solidum argumentum de hujus Ecclesiæ sensu seu sententiâ , ex ejus orationibus , quæ universaliter publiceque ad Deum funduntur , ducatur , omnes Ecclesiæ ejusdem DD. Augustinus præsertim , testificantur : hic in Epistola 107. ex Ecclesiæ orationibus ad Deum pro infidelibus ostendit conversionem ad fidem esse donum Dei: in epistola 95 ex hoc quod Deus oratur ne peccemus , ut tentationes vincantur &c. demonstrat hæc

omnia ad Dei gratiam pertinere: in libro de *bono perseverantiæ* cap. 23. postquam hæc omnia repetit, rationem assignat, inquiens,. Nam si hæc ab ipso quidem poscit Ecclesia, sed à se ipsa dari putat, non veras sed perfunctorias orationes habet quod absit à nobis,. Si vero Augustinus orationes Ecclesiæ ut perfunctorias, et non veras orationes haberet, si id à Deo postularet quod crederet se solā posse perficere, quanto magis illas à vero aberrare existimaret, si à Deo intelligentiam alicujus doctrinæ peteret, cum tamē illa doctrina erroribus scateret? absit hoc à nobis ut Magistrum veritatis intelligentiam erroris putemus à Deo posse postulare. Quæ omnia cum ita sint, audiamus, si placet, quid circa doctrinam Div. Thomæ à Deo petat: sic ergo orat:,, Deus qui Ecclesiam tuam Beati Thom. Conf-

fessoris , tui atque Doctoris mira eru-
ditione clarificas , et sancta operatio-
ne fœcundas , da nobis , quæsumus,
et quæ docuit intellectu conspicere,
et quæ egit imitatione complere . „
Ita ne Ecclesia indiscriminatim , sine
restrictione ad hoc vel illud , postu-
lat intellectu conspicere , quæ Thom-
as docuit? quæ ergo Thomas docuit
bona , sana , vera absque dubio sunt.
Nisi forte eo impietatis quidam de-
venirent , ut existimarent Ecclesiam
aliud à Deo posse petere , præter
id quod bonum existimat , verumque
judicat. Quod certe temeritatis notam,
ne quid amplius addam , nequaquam
effugiet.

Ad hoc Ecclesiæ in orationibus
publicum testimonium doctrinæ Div.
Thomæ proximè accedit , quæ
olim ab Episcopis in solemni festi-
vitate ejusdem S. Doctoris dabatur
benedictio : mos erat antiquitus

in ritu Episcopalis benedictionis , quæ ante finem Sacrosancti Missæ Sacrificii populo dabatur in Solemnitatibus præcipuis ex præscripto Ritualis seu Pontificalis Romani quasdam profferre orationes in ejus Sancti aut solemnis festivitatis laudem aut memoriā ; extat igitur in antiquo Pontificali Romano sub Paulo III. impresso Venetiis 1543. cuius in Bibliotheca Conventus S. Stephani Salmanticensis vetustus codex asservatur, hic orationum ritus pro Episcopali benedictione in die S. Thomæ solemniter dandâ.

„Benedicat et custodiat vos omnipotens Deus , qui per B. Thomam Aquinatem Virginem , Doctorem , et Confessorem suum divinâ sapientiâ illustratum Ecclesiam suam sanctam hæresibus purgare et criminibus , a luce veritatis et doctrinæ integritate illuminare est dignatus. Resp. Amen.„

„Et qui ejus doctrinam in veritate et charitate fundatam nullis permisit adversantium telis pessundari, ipse vos in recta fide et perseverantia in sua voluntate dignetur confirmare. Resp. Amen.”

„Quatenus in fide vera firmati, et in bonis operibus perseverantes ejus precibus, et meritis ad æternam valeatis pervenire lætitiam, et cum ipso semper in cœlestibus gaudiis lætari. Resp. Amen.”

Sic sensit Ecclesia de veritate, integritate ac soliditate doctrinæ Div. Thomæ, sic illi acclamavit, sic à Deo postulavit.


Etsi vero lectiones in Breviario pro Divini Officii penso persolven-do appositæ haud quaquam talem tantamque ad faciendam fidem vim habeant ac orationes Ecclesiæ publicæ, nemo tamen sanæ mentis inficiabitur illarum testimonium cujusli-

bet privati authoris dictis esse præferendum , tum vel maximè cum et à quibusdam Summis Pontificibus approbatæ ac in lucem editæ dignoscuntur.

Hujusmodi sunt , quæ pro die festo S. Thomæ circunferuntur à Julio III. pro Fratribus Prædicatoribus approbatæ , jussu S. Pii V. Breviario Romano insertæ , et à Clemente VIII. recognitæ. In his ergo inter alia hæc habentur : „quoniam etiam Sodali suo Fratri Reginaldo dicere solebat , quidquid sciret , non tam studio ac labore suo peperisse quam divinitus traditum accepisse,“ et alibi : „Scripta ejus et multitudine , et varietate , et facilitate explicandi res difficiles adeo excellunt , ut ob eam causam etiam nomen Doctoris Angelici jure sit adeptus.“

Ne vero lectori stomachum faciamus ab aliis memorandis clausulis

supersedemus , integrum enim Officium esset transcribendum , si omnia notatu digna vellemus afferre. Consulat qui voluerit ejusdem S. Doctoris Officium pro Ordine Prædicatorum concessum , ex quo forsitan in hujus operis progressu aliqua indigitabimus. Nunc vero ad alia properemus.



CAPUT III.

Ecclesiæ Romanæ Oracula.

Neminem latere potest inter plurima eaque gravissima munera , quibus Summi Pontifices implendis student , quæque illis ob supremum Ecclesiæ Primatum competunt , id præcipuum esse , ut fidelibus tradant doctrinas veras , sanas , integras , ab omni suspicione falsitatis quam longissimè alienas , et tum ad explica-

tionem Fidei , tum ad munimen Religionis pietatisque incrementum accommodatas. Imitatores effecti illius Petri cui à Domino dictum est (1) „pasce oves meas”, omnem adhibent solicitudinem ut nedum oves arceant ab insalubribus herbis venenatæ doctrinæ errores proscribendo , et si ita fieri expedit ab immaculato Ecclesiæ agro radices , unde hujusmodi pestifera germina pululant evellendo ; verum etiam ut illas in loco pascuæ salutaris collificant , et ad aquas refectionis deducant , potumque vitæ propinent de nectare doctrinæ sanæ et integræ; ut sic in pietatis scientiâ proficiant , et utiliter conversatione sanctâ reficiantur. Cum autem in his omnibus ut Pastores Ecclesiæ agant , et imperium eorum à Suprema , quâ polent , Authoritate proficiscatur , neces-

(1) Joann. cap. 29.

se est ea prono animo à Fidelibus excipi , et Diplomatibus Pontificiis de eâ re scriptis fidem ita haberí, ut qui eam inficiari ausus fuerit , hæresis , vel temeritatis notam nequam possit effugere : hæresis quidem , si vel doctrina illa proposita fuerit ut canonica , vel definita tamquam ad fidem aut mores pertinens , sive nomine Concilii generalis , sive solius Romani Pontificis ex Cathedrâ illam proponentis. Temerarius vero is esset , qui cum Summi Pontifices sive Concilia doctrinam aliquam non definiendo sed approbando proponunt tamquam sanam , integrum , erroris expertem , utilemque ad Ecclesiæ defensionem , eam ut talem non susciperet , et quod pejus est , impugnaret : prior quidem approbatio doctrinam tamquam de fide credendam constituit ; sic fuit approbata Epistola S. Leonis

Papæ ad Flavianum , cuius mentio fit in capite *Sancta Romana* , ubi dicitur quod “ejus textum aut iota unum si quis idiota disputaverit , et non eam in omnibus venerabiliter acceperit , anathema sit”: eodem modo Agathonis Papæ epistola in 6. Synodo generali , et anathematismi Cirili in Ephesinâ approbantur : posterior vero id tantum efficit ut doctrinam illam tamquam veridicam habeamus , et ut probabilitate cæteris præferatur. Sic Ecclesia S. Augustini Tractatus *de gratia* approbavit , ut videre est in Epistola Joannis II. ad Abienum Senatorem , Hormisdæ in suâ ad Possessorem , et alibi sæpè.

Hæc omnia etsi paullo fusius , à nobis ideo dicta sunt , ne aliquis Summorum Pontificum verba audiens , quibus doctrinam Ang. Præceptoris commendat , aut parvipendat eorum vim et authoritatem , aut

plus justo extollat. Nam ut præclarè Horatius:

Est modus in rebus , sunt certi de-nique fines.

Quos ultra citraque nequit consiste-re rectum.

Nunc ergo reliqua persequamur , et Summorum Pontificum de approba-tione Doctrinæ Div. Thom. testimo-nia proferamus.

Alexander IV. Agmen dicit Alexander IV. qui occasione illius ferventissimæ perse-cutionis in Universitate Parisiensi contra Fratres Mendicantes suscita-tæ à Guillielmo à S. Amore et So-ciis , qui DD. SS. Thomam et Bo-naventus ex aulis expulerant , mu-nereque docendi privaverant , cum rescivisset S. Thomam à Cancellario Parisiensi iterato ad Cathedram res-titutum fuisse , gratulatorias litteras ad eum misit XI. Martii datas anno 1256. ubi hæc habet. „Delectabile

nobis est auditu percipere , quod te
in his promptum reddis et vigilem,
quæ pietatem continent vel sapiunt
honestatem , prout patenter agnoscitur ,
quod dilecto Filio Fr Thomæ
de Aquino Ordinis Prædicatorum
viro utique nobilitate generis , et
morum honestate conspicuo , ac *The-*
saurum litteralis scientiæ per Dei gra-
tiam assequuto , licentiam in Theolo-
gica facultate docendi &c.

Cum etiam sub hoc Pontifice Pari-
siis editus fuisse Libellus quidam cui
titulus „*de periculis novissimorum tem-*
porum„ , quo nihil procacius , nihil
contra Fidem audacius , nihilque
magis saluti fidelium noxium , Sum-
mus Pontifex Div. Thomam Ana-
gniam ad se vocavit , ac ejus sapien-
tiæ fidens libellum tradidit ut men-
daciū impugnaret , veritatesque ca-
tholicas defendeter . Nec fefellit
eventus ; brevi enim temporis inter-
cij

vallo et Libellum perlegit, et errores detexit, et in audiētiā publica coram Sanctissimo sacroque Cardinalium Collegio non minori soliditate quam acutissimis rationibus objecta confutavit, nodos dissolvit, catholicamque stabilivit fidem: ita ut Summus Pontifex in admirationem raperetur, Cardinales plauderent, cunctique docti pariter ac pii viri in spem erigerentur doctrinam tanti Doctoris id quam primum assequutaram, ut et pax animis, et finis imponeretur negotio illi tenebricoso, quod spiritus exagitabat, Italiāque ac Galliam in periculum amittendae fidei perducebat (1). Tot tantosque fructus et Regnum, et Sacerdotium ex doctrinā Ang. Doctoris vel in ipsius Magisterii exordio decerpebat.

Urbanus IV. Non inferius de Div. Thom. doctrinā judicium efformaverat Ur-

cij

(1) Ita Boll. pag. 666. n. 20.

banus IV. Cum primum enim Pontifex inauguratus fuit , D. Thomam ad se Romam vocavit , ejusque operâ usus est , ut Ecclesiæ nova comoda per illius scripta pararet (1). Hinc ut Græcos Schismaticos retunderet , ad S. Doctorem confugit , eique author fuit ut Opusculum contra errores Græcorum scribebat , quod postmodum præstantiâ doctrinæ ita animos Orientalium illexit , ut illud in vernacula idiomata non semel vertere curaverint.

Ejusdem Summi Pontificis jussu Officium SS.
totum officium , quod in solemnitate ti. Corp. Chris-

Sanctissimi Corporis Christi in Ecclesia Catholica canitur , composuit , ipsumque esse omni laude majus , ille solum inficiabitur , qui vel varietatem sententiarum , vel utriusque Sacræ Paginæ mirifice sibi consentientem rela-

c iij

(1) Verba sunt Tholom. Luc. tom. I. pag. 272.

tionem, vel unctionem spiritus gravitatemque animo non adverterit.

Catena aurea.

Nullatenus his laboribus contentus Summus Pontifex Div. Thomæ doctrinæ lucernam sub modio abscondi passus est, quin potius ut luceret omnibus qui in domo Ecclesiæ sunt, opus ei arduum injunxit, explanationem nempe quatuor Sacrorum Evangeliorum ex dictis SS. PP. compilatam, in quâ sensus litteralis, et mysticus exponerentur, errores refellerentur, necnon et veritas Catholica confirmaretur: quod opus propter mirabilem concatenationem PP. Catena aurea meruit appellari: quam tamen Urbanus morte sublatus absolutam non vidit, ut patet ex Epistola S. Doctoris ad Cardinalem Annibaldum in principio Evangelii secundum Marcum apposita.

Opusculum
contra Aver-

roes. Sub hoc item Pontifice in lucem prodiit publicam D. Thomæ opuscu-

Ium, quo errores Averrois de unitate intellectus quibus Libertini quique protecti absque divini judicij metu in vitia prolabebantur, solide confutavit, in orcumque fecit abire. Urbani successor Clemens IV. Div. Thom. Clemens IV. impensisimè coluit, ac Sanctitatis ejus fama permotus cùm Abbatiam de Monte-Cassino, tūm etiam alias dignitates ecclesiasticas obtulit: postremo tandem ad Archiepiscopatum Neapolitanum promovit datâ Bullâ quam se vidisse testatur Baronius (1): quæ omnia vir humillimus S. Thomas constantissimè recusavit.

Tantum vero doctrinæ ejus Clemens detulit ut cum Libellus à Guillielmo de S. Amore compositus, cui titulus *collectiones Sacrae Scripturæ* in publicum prodiisset: atque omnes merito pertimescerent nequid detri-

c iv

(1) In annotat. ad Martyrolog. ad diem 7. Martii.

menti fides inde caperet , si lues vi-
rulenta libere per Gallias discurre-
ret , Div. Thomæ tradendum curave-
rit ut antidotum ex ejus doctrinâ
Ecclesia Catholica reportaret . Pro-
tinus S. Doct. duo vulgavit opuscu-
la ; alterum adversus eos qui juve-
nes ab ingressu Religionis retrahere
conabantur ; alterum de perfectione
spirituali , et de mediis ad eam as-
sequendam necessariis .

Sub idem tempus ad Hugonis II.
Regis Cipri instructionem libros *de
Regimine Principum* S. Doct. elucu-
brari cœperat , quos Rege morte
prævento non absolvit , ex quatuor
enim qui vulgariter circumferuntur
duo tantum primi genuini Ang. Præ-
cept. sunt fœtus .

Gregorius X. In dicto Lugdunensi Galliarum
Generali Concilio ad stabiendam
Græcorum cum Latinis unionem in-
ter alios eximios doctrinâ et sancti-

tate viros, Div. Thomam accersiit Gregorius X. utque secum opusculum contra errores Græcorum à se editum afferret imperavit, rationemque assignans cur ipsum ad Concilium vocaret, ait „cum illius sanctitatis, et doctrinæ gloria latè in Dei Ecclesia effloresceret, ut illius operâ in Sacro Cœtu uteretur” (1).

Hunc excipit Innocentius V. ann. Innocent. V. tea dictus Fr Petrus de Tarantasia Ordinis Prædicatorum, qui familiaritate ac contubernio Div. Thomæ, eum in primis charum habuit, ejusque doctrinâ imbutus in supradicto Concilio Lugdunensi strenuè adlaboravit, Ecclesiæque Catholicæ partes contra Græcos egit: hic semper S. Doctoris opera præ manibus habebat, illorumque compendium fecit teste Sixto Senensi (2): additque Lean-

(1) Ita Odoricus Raynaldus continuat. in Baron. ad ann. 1274. num. 9.

(2) Lib. 4. Bibliothecæ Sanct.

der Albertus quod" strictim Thomæ Aquinatis doctrinam complexus est; maximus enim fuerat propugnator sectatorque ipsius doctrinæ quā mirum in modum delectabatur (1)."

Joann. XXII. Vix credibile est quot quantaque Joannes XXII. de Div. Thom. doctrina protulerit testimonia. In primis cum Legati Regis Neapolitani Avignonem venissent pro Canonizatione Fratris Thomæ libellum supplicem prorecturi, ne forte de ejus sententia dubitarent Legationem illorum præveniens, dixit: „minimè dubitamus quod Frater Thomas de Aquino gloriosus existat in Cœlo: vita enim ejus sanctissima fuit, nec doctrina potuit esse absque miraculo.” Idem rursus in alia allocutione ait: „Ipse Thomas plus illuminavit Ecclesiam quam omnes alii Doctores, in cujus libris plus

(1) Lib. 3. de viris illustribus.

proficit homo uno anno quam in
aliorum Doctorum toto tempore vi-
tæ suæ (1).”

Idem Summus Pontifex cum ali-
quando coram se inter Cardinales
sermo fieret de inquisitione miracu-
lorum S. Thomæ, quæ tunc temporis
fiebat pro solemini ejusdem canoniza-
zione, et opponeretur à quibus-
dam quod non fecerat miracula in
vitâ, vel non multa, respondit: “
non esse curandum, nam tot mi-
racula fecit quot quæstiones deter-
minavit (2).

¶ Quid vero dicemus de his egre-
giis laudibus quibus doctrinam Ang.
Doctoris in Bullâ Canonizationis,
quæ incipit *Redemptionem*, prosecu-
tus est? (3). In hâc inter alia ait:

(1) Bolandus tom. I. Martii pag. 681. et 82.

(2) Verba sunt Joann. Gerson Chancel. Pa-
risiens. tom. 2. tractat. 39. Lit. A opusc. con-
tra impugnat. Religion. Cartus.

(3) Data Avenione XV. Kal. Aug. Pont. sui
ann. 7. hoc est ann. Domin. 1323.

„in brevi adeo profecit scientia :: ut ætate adhuc juvenis ad Theologiæ Magisterium Parisiis , loco utique celeberrimo assumptus cathedram regeret Magistralem :: operaque tam brevi confecta tempore admirationem merito exhiberent , ut illud Psalm. *rigans montes de superioribus suis , de fructu operum suorum satiabitur terra* (1) , in eo verissimè impleretur , “et infra numero 2.” Nam et in primitivis scientiis et diversis Philosophiæ partibus , ut non esset otiosus , sed operaretur terram: necnon in Sacræ Scripturæ paginam tam super novum quam vetus Testamentum scripta, plurimaque alia opera in Dei laudem fideique dilatationem , eruditionemque studientium clara cum sciens esset , famosa cum cognitus non absque speciali Dei infusione perfecit..”

(1) Psalm. 103. v. 13.

Quid ad Ang. doctrinæ commendationem expresius dici potuit ? Summus Pontifex non in privato aliquo colloquio , non in angulo , aut sub modio , sed super candelabrum constitutus , in Bullâ Canonizationis , in quâ non ut particularis Doctor sed ut Pontifex procedit , auctoritativerè pronunciat D. Thomam , *sua opera non absque speciali Dei infusione perfecisse.* Quam aptè congruit hæc Summi Pontificis assertio cum illis ejusdem Div. Thomæ verbis , quibus ait : *Se , quidquid sciret , non tam studio ac labore suo peperisse quam divinitus traditum accepisse (1)!*

Hunc excipit Clemens VI. in commendanda doctrinâ Div. Thom. nemini secundus : hic in sermone quem habuit de Sancto Thomâ , qui incipit : *Docebat eos de Regno Dei*, ait: „Scri-

(1) In Breviar. Ord. Prædic. et in actis ejus vitæ.

psit S. Thomas tot , et tanta , tam profunda et alta , quod mirabile est, quod ad hoc potuit sufficere tempus vitæ suæ : unde videtur impossibile, nisi fuerit ab Spiritu Sancto , et de eodem dicamus quod scribitur Ecclesiast. 12. cum esset sapientissimus, docuit populum quæsivit verba utilia , conscripsit sermones verissimos, et veritate plenos. Et videtur , quod doctrina istius Sancti ostendatur esse vera supra omnes doctrinas Doctrinæ modernorum. ”

Idem alio in sermone de S. Thomâ , qui incipit : *Ecce plusquam Salomon hic* : loquens de ejus doctrina ait : “ Hæc ergo doctrina , charissimi, non recedat ab ore , non recedat à corde ; quia ipsam sequens non devias , ipsam cogitans non erras, ipsam tenens non corruis , ipsam loquens non mentiris , ipsam studens ad veritatem pervenis : tenui ergo

nec dimittam. Cant. 3. (1).

In Bullâ item Avenione datâ ann. 1344. VIII. Idus Februarii , Pontificatus sui anno 2.^o postquam ipsum S. Thomam prælucidum ac fructu- sum Palmitem , Doctorem egregium, et almificum appellavit , hæc addit: “ex cuius sapientiæ , et doctrinæ scriptis et traditis Universalis Eccle- sia , multiplicis ubertatis spiritualis fructum colligens , ipsius fructus odore reficitur incessanter.”

Paucioribus sed tamen omnem Innocent. VI laudem prætergressis verbis Angeli- cam doctrinam commendavit Inno- centius VI. in Sermone de S. Tho- mâ incipiente.” *Ecce plusquam Salo- mon hic* , his verbis : “Hujus doctri- na præ cæteris exceptâ canonica ha- bet proprietatem verborum , modum

(1) Maximam utriusque sermonis partem re- fert Episcopus Lucarinus sub finem operis inscript. *Manuale Thomistic. controv. Rom.* impres. ann. 1666.

dicendorum , veritatem sententiarum,
ita ut numquam qui eam tenuit in-
veniatur à veritatis tramite deviasse,
et qui eam impugnaverit , semper
fuerit de veritate suspectus.”

Scio nonnullos extitisse qui ejus-
modi testimonium tamquam apocri-
phum rejiciendum esse autumant:
ego vero cui cordi est nihil in præ-
sentiarum afferre , quod non exacte
discussum , accurateque examinatum
fuerit , quibus momentis ad illud
transcribendum permotus sim , paucis
expediam : In primis S. Pius V. in
impressione operum D. Thom. Romæ
factâ , cui omnes , quæ in posterum
operum ejusmodi fierent editiones,
Bullâ ad hoc datâ , et ibidem inser-
ta voluit conformari: in principio ta-
bulæ aureæ jussit supradictum tes-
timonium apponi : certissimè non jus-
surus , si cum ipse eadem verba pro-
ferre posset , ab alio prolata non

invenisset. Insuper Urbanus VIII. in lectionibus pro die octavâ S. Thom. concessis , et approbatis ann. 1639. hæc eadem Innocentii VI. verba et vidit , et recitari concessit. Lambertus de Monte in initio libri de animâ impressi Coloniæ Agripinæ 1494. affirmat se ejusmodi verba ex suo authographo exscripsisse. Universitas Salmantina in memoriali pro tuendo juramento de sequendâ doctrinâ SS. Augustini , et Thomæ oblato art. 3. §. 3. numero 12. eadem verba Innocentii VI. repetit et inculcat. Quin et doctissima Religio Seraphici Patris Francisci in Memoriali hâc de re dato art. 1. §. 3. n. 7. et hujusmodi testimonium confirmat , et assserit " testimonium hoc verum esse loquendo de doctrinâ Div. Thomæ in communi , et quod sub hac ratione ipsam Summus Pontifex approbat tamquam catholicam et veram , et

in hoc sensu ab ipsâ deficere est à veritatis tramite deviare, deserereque viam illam, quæ ad salutem animarum necessaria est, atque ad vitam perducit æternam". Mitto testimonia Petri de Rivadeneira (1). Thomæ Pii à Ponte (2). Didaci Granado (3), ex Societate Jesu, Fr. Petri Cabrera (4), ex Ordine S. Hyeronimi, et Domini Thomæ de Aquino (5), Clerici Regularis, qui hæc eadem attestantur. Dicta enim pro veritatis elucidatione sufficient.

Urbanus V. Constitutione III. datâ 16. Junii anno 1368. quæ incipit, *Copiosus* hæc habet. "Decens reputantes et congruum ut dictum Corpus gloriosi Sancti, qui dum vixit, Ordinis Fratrum Prædicatorum pro-

(1) In vita Div. Thom. 7. Martii.

(2) In I. part. D. Thom.

(3) Tom. I. in I. p. Div. Thom. præfation. I. cap. 3. nûm. 10.

(4) 3. p. tom. I. prolog. ad lectorem.

(5) De *Vinea Christi* tom. 2. cap. 6.

fessus existens tamquam Doctor egregius per sua profunda , et salutifera documenta universalem illustravit Ecclesiam :: cum eisdem Fratribus collocetur : “et infra : ” volumus autem quod si Magistro , et Capitulo generali dicti Ordinis proximè celebrando placuerit , ejusdem corporis dextrum brachium Priori et Fratribus dicti Ordinis Parisiorum , ad decus et honorem totius Studii Parisiensis in quo idem gloriosus Sanctus sua facundiâ fœcunda, Cœlestis irrigui gratiâ influente , Scripturarum enigmata reseravit , solvit nodos , obscura dilucidavit , dubiaque declaravit , ad augendam devotionem Fidelium transmittatur.”

Idem Constitutione V. data 3.
Augusti 1368. ad Cancellarium Universitatemque Tolosanam directâ hæc ait.” Nos attendentes quantâ à Deo scientia dotatus (S. Thom.) Ordinem
Dij

Fratrum Prædicatorum , et Universam Ecclesiam illustravit , ac B. Augustini vestigia insequens Ecclesiam eamdem doctrinis et scientiis quam plurimis adornavit” , et infra : volumus inquam , et tenore præsentium vobis injungimus , ut dicti B. Thomæ doctrinam tanquam benedictam et catholicam sectemini , eamque studatis totis viribus ampliare. “ Demum præsente Magistro Generali Ordinis Prædicatorum coram Cardinalibus , in obsequium Div. Thomæ hæc verba protulit” : Non timeo hæreses , nec earum pullulationes isto Ordine perdurante. (1). *Nota* , quod hic Summus Pontifex nedum doctrinam Div. Thomæ approbat , verum etiam ipsam sequendam præcipit; ḥquid est enim injungimus? ḥ An mera et sola laus , et commendatio,

(1) Hæc dicta sunt Sabb. post resurrect. ita Bol. pag. 729. num. 9.

qualem potest declamando Orator magnificare? An superioris potestatis præceptum , quod subjectis imponitur? Id præceptum vocatur, quidquid sit quanto rigore constringat.

Constitutione 29. data 20 Julii ann. 1451. quæ incipit, *Cum et plantare*, tribuens facultatem commutandi vota Priori Conventus Tolosani Ordinis Prædicatorum ob honorem et reverentiam Corporis B. Thomæ, quod illic asservatur, ejusdem S. Doctoris mentionem faciens sic ait: "ex cuius doctrinâ tota universalis illuminatur Ecclesia."

Constitutione 50. quasdam Iar- Alexander VI. giens Indulgentias pro Altari S. Thomæ Matriti erecto ab illustri Domino Petro Castellæ , sic exorditur.:” Etsi cunctæ orbis Ecclesiae sub Sanctorum fundatæ vocabulis sunt piâ fidelium devotione venerandæ, illas tamen quæ in honorem S. Thomæ

de Aquino dedicatæ noscuntur , eo celebriori memoria convenit venerari quò ipse quasi lucerna præfulgens in Universo Christianum orbem illustrat."

Cum universitas Salmantina , quæ Pius IV. quotannis colere solet Doctorem Angelicum ad Ecclesiam S. Stephani Ordinis Prædicatorum accedendo, ibique solemniter Sacrum faciendo in die festo Div. Thomæ , à Summo Pontifice Pio IV. quasdam spirituales gratias suppliciter petiiset ut majori cum solemnitate , animarumque fructu hujusmodi festum ab omnibus celebraretur , Summus Pontifex nedum votis ejusmodi annuit , sed et partâ occassione in Div. Thomæ laudes prorrupit , inquiens : "ut ad tanti Doctoris ex cuius sacrâ doctrinâ quanti fructus Ecclesiæ Dei per venerint , et quotidie perveniant , nullus est ferè , qui nesciat , sanctissimos mores imitandos , assequendam

doctrinam , et festum majori cum
devotione celebrandum , quod ad
Dei gloriam et Ecclesiæ Catholicæ
bonum cedere dubium non est , avi-
dius accendantur.”

Hujus proximus successor S. Pius V. Pius V.
cum primùm in Apostolicam Cathe-
dram evectus est , nihil secundum
Deum antiquius habuit , quam , ut
S. Thomam in numerum DD. Ec-
clesiæ cooptare , ejusque festum ab
omnibus celebrari faceret , perindè
ac festa aliorum quatuor Ecclesiæ
Latinæ DD. Hinc Bullâ datâ die II.
Aprilis anno 1567. ab ipso Summo
Pontifice sub sigillo majori et tri-
ginta et quinque Cardinalibus obsi-
gnata hæc inter alia intersetit : ”
Nam miraculorum signis quibus ser-
vi sui Thomæ perpetua veræ pietatis
opera nobilitare voluit inexhausta Dei
benignitas , et certissimâ Christianæ
regulâ doctrinæ , quâ S. Doctor Apos-

tolicam Ecclesiam infinitis confutatis hæresibus illustravit , adductus felicis recordationis Joannes XXII::: Sed quoniam Omnipotentis Dei prouidentiâ factum est ut Ang. Doct. vi, et veritate Doctrinæ ex eo tempore quo cœlestibus Civibus adscriptus fuit, multæ, quæ deinceps exortæ sunt hæreses , confussæ et convictæ dissidentur : quod et antea sæpe , et liquidu nuper in Sacri Tridentini Concilii decretis apparuit , ejusdem memoriam cuius meritis Orbis terrarum à pestiferis quotidiè erroribus liberatur majore etiam , quam antea grati et pii animi affectu colendam statuimus” , et infra , ipsum appellat, clarissimum Ecclesiæ Dei lumen.

Idem Constitutione 93. datâ 29.
Julii anno 1570. quæ incipit : *In eminenti pro erectione Canonicatus S. Petri in Vaticano pro Præbendâ Thæologali ad docendam Div. Tho-*

mæ doctrinam hæc ait : “attendentes
D. Thom. qui Theologiæ et Ordinis
Prædicatorum proffessor fuit , doctri-
nam Theologicam ab Ecclesiâ Ca-
tholicâ receptam aliis magis tutam et
securam existere : &c.”

Idem Constitutione 99. datâ 14
Novembris ann. 1570 , quæ incipit,
Cum dilecti : approbat editionem Ro-
manam operum Div. Thomæ ejus
jussu factam, “ non dubitans hujusmo-
di opera plurimum conducere ad
Christianæ Religionis augmentum et
utilitatem.”

Summus hic Pontifex Sixtus V. Sixtus V.
Constitutione 11. datâ 1 Junii ann.
1586. quæ incipit, *Salvator*, post plu-
rium privilegiorum concessionem fa-
ctam Confraternitati studentium Bar-
chinone erectæ sub invocatione S.
Thomæ , quô eos ardentius ad sec-
tandam Angelicam doctrinam impel-
leret , aliosque ad imitationem eorum

induceret, concedit pariter indulgen-
tias omnibus assistentibus conclusio-
nibus, disputationibus Theologalibus,
quæ ab ipsis studentibus haberentur.

Idem Constitutione 20. datâ 14
Martii ann. 1588. quæ incipit *Triun-
fantis Div. Thomam* vocat *Ordinis sui
decus*, et *Ecclesiæ Catholicæ orna-
mentum.*

Clemens VIII. Neapolitanis rescribens Clemens
VIII. cum ad ipsum pro obtinendâ fa-
cultate Apostolicâ eligendi S. Tho-
mam de Aquino in Patronum suæ Ci-
vitatis humili devotione supplices ac-
cesissent, tria direxit Brevia; ac in pri-
mo quidem quod incipit, *In quo nos—*
hæc habet: “piè prudenterque cogita-
tis de novo Civitati Patrono adscis-
cendo Cive vestro, Divinæ voluntatis
Angelico interprete, vitæ sanctitate et
miraculis claro Thomâ Aquinate,
cujus doctrinæ tantum fuit tributum
ut christianæ eruditionis suæ divi-

num etiam illud habeat testimonium:
Benè de me , Thomâ , scripsisti.

In altero quod incipit , *Quantum prodesse , sic ait*” : erat quidem antea multo optandum ut Civitas ista pietati in primis dedita , novum Patronum ad reliquos quos habet addendum curaret Thomam Aquinatem , cuius divino eloquio cœlestis doctrina , miraculisque illa quidem illustris , merito apud remotissimas Nationes , summâ christiani nominis cum laude , atque Ecclesiæ utilitate celebratur. “*Et infra.*” Et nos solemus ut decet semper favere supplicatio- nibus ; sed huic certè ardenter quadam voluntate annuimus , quod et nos ipsi Angelico huic Doctori et nostro , et totius Christianæ Ecclesiæ nomine plurimum debemus.”

In altero item Brevi ad Civitatem Neapolitanam hâc eadem occasione directo ait : “*Hic siquidem honor*

ejus virtutibus cum admirabili doctrinâ conjunctis , jure optimo debetur : ac doctrinæ quidem testis est ingens librorum numerus , quos ille brevissimo tempore in omni ferè disciplinarum genere singulari ordine , ac mirâ perspicuitate , sine ullo prorsus errore conscripsit , in quibus conscribendis interdum Sanctos Apostolos Petrum et Paulum colloquentes , locosque illi quosdam Dei jussu enarrantes habuit , quos deindē conscriptos expressâ Christi Domini voce comprobatos audivit."

Paulus V. Non minori studio doctrinæ Div. Thomæ laudes decantavit Paulus V. nam Constitutione 28. datâ 27 Decembris 1607. quæ incipit, *Splendidissimi* — hæc habet : " Splendidissimi Catholicæ Fidei Athletæ B. Thomæ Aquinatis cuius scriptorum clipeo militans Ecclesia Hæreticorum tela feliciter elidit , honorem , et veneratio-

nem in dies magis magisque augeri plurimum in Domino gaudemus, et his quæ ad illius honorem devotè sancita sunt ut firma, et illibata permaneant libenter Apostolicæ Dignitatis robur adjicimus."

Idem Constitutione 81. datâ 20 Octobris anni 1614. cum quasdam elargiretur spirituales gratias Confraternitati S. Thomæ in Conventu S. Stephani Salmantino erectæ, ipsum S. Doctorem appellat, *Ecclesiæ Catholicæ defensorem ac Hæreticorum expugnatorem.* Alexand. VII.

Summus Pontifex Alexander VII. Doctoribus Universitatis Lovaniensis Breve quoddam dirigens occasione quinque propositionum Jansenii, gratiasque agens Universitati, quod neminem ad Gradus admitterent, qui illas propugnaret, sic eos alloquitur: "De reliquo non dubitamus, quin vos pro singulari scientiæ pietatisque studio sanam et incorruptam, qua-

Iem tot Apostolicæ Sedis declaratio-
nes et SS. PP. traditiones requirunt
doctrinam semper amplexuri, et ad-
versus Orthodoxæ Religionis hostes
defensuri sitis. Nec non præclarissi-
morum Ecclesiæ Catholicæ Docto-
rum Augustini et Thomæ Aquina-
tis inconcussa tutissimaque dogmata
sequi semper, ut asseritis, atque impen-
sè venerari velitis : Quorum profecto
sanctissimorum virorum penes Catho-
licos Universos ingentia et omnem lau-
dem supergressa nomina novi præco-
nii commendatione planè non egent."

Innocen. XII. Aliquos post annos Innocentius
XII. et Cathedrâ Romanâ, et devo-
tione erga Div. Thomæ doctrinam
Alexandri VII. successor fuit. Hic in
suo Brevi dato 6. Februarii ann.
1694. ad eamdem Universitatem di-
recto summis laudibus effert doctri-
nam Div. Thomæ iisdem ferè verbis
quibus olim Celestinus I. in quinto

Ecclesiæ sæculo Doctorem magnum Augustinum extulerat: sic enim ait: "Apostolicâ vos primum authoritate monemus, ut sublatis contentionibus, sapientiæ , quæ de sursum atque pacifica est vacetis , profitentes , ut asseritis , doctrinam præclarissimorum DD. August. et Thomæ : quorum ille tantæ scientiæ fuit , inter Magistros optimos etiam à nostris prædecessoribus haberetur : et cuius doctrinam secundum eorumdem prædecessorum statuta Romana sequitur et servat Ecclesia : alter vero eamdem Dei Ecclesiam clarificat , et sanctâ operatione fœcundat. Hos dum Universitas vestra doctrinæ duces sequuta fuerit , securè pugnabit contra hostes Orthodoxæ Fidei in Ecclesiæ gloriam et edificationem."

Testimonia hucusque allata ex-
pressè uniformiterque à Summis Pon- Benedictus
tificibus tradita utique sufficere pos- XIII.

sent ad adstruendam invariabilem traditionem Sedis Apostolicæ super approbatione doctrinæ D. Thomæ: sed sine temeritatis nota asserere possum testimonia à subsequentibus Pontificibus prolata præcedentia longè multumque superasse , et usque ad supremum authoritatis gradum Angelicam doctrinam evexisse : id palam fiet si matura discussione istorum verba consideremus. Atque primo loco adest Benedictus XIII : hic in Brevi quod incipit , *Demissas preces* , dato 6. Novembris 1724 ad Universum Prædicatorum Ordinem directo , postquam elogia à Pio V. et Alexandro VII. Div. Thomæ tributa retulisset , addidit : "pergit porro Doctoris vestri opera sole clariora , sine ullo prorsus errore conscripta , quibus Ecclesiam Christi mirâ eruditioneclarificavit , inoffenso pede decurrere , ac per certissimam illam christianæ doc-

trinæ regulam , Sacro-Sanctæ Religionis veritatem , incorruptæque disciplinæ sanctitatem tueri ac vindicare : hæc sunt enim , dilecti Filii , quæ Prædecessores nostri de S. Thomæ doctrinâ senserunt , et prædicarunt , quæque nos libentissimè usurpamus , et præconio Apostolicæ vocis effrimus .”

Idem Constitutione 79. data 26 Maji 1727. quæ incipit *pretiosus*, hæc ait : “ Cum autem silere nos minimè deceat de doctrinâ Ang. Doct. S. Thomæ Aquinatis, ignoramus planè quibus illam laudibus pro magnis suis in Ecclesiam meritis extollamus: satius ergo ad absolutum ejus præconium putamus commemorare ipsam ex Salvatoris Crucifixiore , sicuti pia attestatur historia , fuisse probatam , et constanti Summorum Pontificum testimonio Orthodoxis commendatam populis. Æquum verò erat ut Ange-

lica doctrina tanti Doctoris non vulgaribus efferretur encomiis , quæ Solis instar mundum universum illustrans uberrima Christianæ Ecclesiæ bona peperit , paritque in dies singulos multiplici fructu , Supremo Apostolicæ Sedis Magisterio adversus quoscumque veteres ac recentes errores , quos revincit , fidissimè famulans. Luculentius vero æstimationis argumentum in ipsam S. Thomæ doctrinam nunc edituri , quô magis magisque Prædicatorum Ordo , cæterique Orthodoxi ac veri ipsius Sectatores ad illius sinceram et tutam professionem inflamentur , prædictas omnes , et singulas Decessorum nostrorum Constitutiones , Litteras , seu ut vocant Brevia , necnon omnia et singula in eis contenta supremâ quâ fungimur authoritate , motu , scientiâ et deliberatione præmissis comprobamus , et rursus quatenus opus

fuerit cum ipsismet editis nuper à nobis litteris innovamus. Ut autem turbulenti ac pertinaces tranquillitatis Ecclesiæ Catholicæ perturbatores desinant Orthodoxam S. Thomæ doctrinam calumniari :::: Constitutioni 38. quæ incipit —*Pastoralis Officii*— felicis recordationis Clementis XI. omnibusque in eâ contentis firmiter inhærentes , sub divini interminatio- ne judicii , iterumque sub canonicis poenis , omnibus et singulis Christi fidelibus mandamus , ne doctrinam memorati S. Doctoris , ejusque insignem in Ecclesiâ Scholam , præ- sertim ubi in eadem Schola de divinâ gratiâ per se et ab intrinseco efficaci, ac de gratuitâ prædestinatione ad gloriam sine ullâ meritorum prævi- sione agatur , ullenus dicto vel scripto contumeliose impetant.”

Non minori affectu doctrinam Div. Clemens XII. Thomæ commendavit Clemens XII.

Constitutione 22. datâ 28. Augusti
 1733. quæ incipit = *Verbo Dei* =
 Sic enim exorditur : "Verbo Dei
 scripto et tradito in ipsam scientiam res
 divinas et mores christiano homine
 dignos ad rectam Ecclesiæ Ministro-
 rum institutionem et salutem anima-
 rum solide pertractantem , ejusque
 DD. ac magistros pietate venerabiles
 commendari tunc maximè convenit,
 cùm ingruente falsorum Dogmatum
 illuvie Fides Catholica , et Christia-
 ni mores supremæ curæ nostræ com-
 missi periclitantur. Quo loco De-
 cessores nostri Romani Pontifices
 Sanctum Christi Confessorem Tho-
 mam Aquinatem Ordinis Prædicato-
 rum , et Ecclesiæ Doctorem honoris
 causa Angelici cognomento appel-
 latum semper habuerunt ; eum pro-
 pterea justis laudibus in suis diplo-
 matibus prosequuti, et præsertim Ale-
 xander IV. qui Thomam adhuc vi-

ventem per Dei gratiam thesaurum literalis scientiæ adeptum pronunciavit: Hincque ejus vestigia subinde incurrentes alii Romani Pontifices subsequuti Joannes XXII. Clemens VI. Urbanus V. Nicolaus V. Pius IV. Pius V. Sixtus V. Clemens VIII. Paulus V. Alexander VII. Innocentius XII. et Benedictus XIII. qui omnes uno eum ore approbantes in Sacris Ecclesiæ fastis juxta ac magnos Ecclesiæ Doctores Gregorium , Ambrosium , Augustinum et Hieronymum, Thomam quoque ut vitæ probitate et Sanctioris Theologiæ scientiâ venerabilem , mirâque eruditione Ecclesiam Dei clarificantem , ac sanctâ operatione fœcundantem coli voluerunt. Itaque tanti viri doctrinam in Conciliis Æcumenicis celebratam debitis præconiis Reipublicæ causâ nos quoque ornare cupientes " &c. Constitutionem hanc aliâ Constitutione

datâ 11. Octobris 1733. confirmavit simulque asserit laudes omnes Thomisticæ Scholæ delatas , sive à se , sive à suis Prædecesoribus iterato suo judicio comprobare et confirmare, hæc addendo : "per hujusmodi laudes nihil esse detractum cæteris catholicis scholis diversa ab eadem in explicanda divinæ gratiæ efficacia sentientes."

Benedictus XIV. Hunc excipit Benedictus XIV. cuius et eruditionem vastissimam , et omnigenam litteraturam , integerimumque judicium , crisimque non vulgarem omnes sapientes suscipiunt pariter ac venerantur. Hic ergo in alloquutione habita ad Vocales in Comitiis generalibus Ordinis Fratrum Prædicatorum Romæ celebratis V. Nonas Julii 1756. inter alia hæc habet : "Quod si forte reliqua Familiæ vestræ ornamenta , et in Ecclesiam Catholicam promerita ex animo nos-

tro excidere unquam potuissent , hoc tamen profitemur nullo unquam tempore evenire potuisse , ut è memoriâ nostrâ dilaberetur Theologorum Prin- ceps , Scholarum Angelus , Ecclesiæ Doctor , præclarum Ordinis vestri Si- dus S. Thomas Aquinas , cuius doc- trinæ complures Romani Pontifices prædecessores nostri perhonorifica de- derunt testimonia (1) , quemadmo- dum etiam nos ipsi , in Libris , quos de variis argumentis conscripsimus , postquam Ang. Doctoris sententiam diligenter scrutando percepimus at- que suspeximus , admirabundi semper atque lubentes eidem adhæsimus at- que subscrispimus : candidè profiten- tes , siquid boni in eisdem Libris re- peritur , id minimè nobis sed tanto Præceptorì esse adscribendum.”

Similiter in suis litteris sub for-

(1) Tom. 8. Bull. Ord. FF. Prædic. in tract. conser. Bull. tit. 6. quæst. 2. per tot.

mâ Brevis dat. 21 Augusti ann. 1752
ad Collegium Dionysianum extra mu-
ros Granatæ urbis in Hispaniâ di-
rectis omnia ferè elogia à Summis
Pontificibus Prædecessoribus suis
Doctrinæ Div. Thomæ Aquinatis tri-
buta et repetit, et suo calculo pro-
bat: en ejus verba: "Doctrinæ enim
S. Thomæ Aquinatis, divinæ volun-
tatis Interpretis, vitæ Sanctitate et
miraculis clari, tantum fuit tributum
ut christianæ eruditionis suæ divi-
num etiam illud habeat testimonium
sicuti piè testatur historia: *Benè de*
me, Thoma, scripsisti = Atque ejus-
dem quidem doctrinæ testis est in-
gens Librorum numerus, quos ille
brevissimo tempore in omni fere dis-
ciplinarum genere, singulari ordine,
ac mirâ perspicuitate, sine ullo pror-
sus errore conscripsit, in quibus
conscribendis interdum SS. Apostolos
Petrum et Paulum colloquentes, lo-

cosque illi quosdam Dei jussu enarrantes habuit, et quos deinde conscriptos expressâ Christi voce compobatos audivit. Quandoquidem omnipotentis Dei providentiâ factum est, ut Ang. Doctoris vi, ac veritate doctrinæ, non solum innumeræ, quæ vel ipsius ætate vel antea grassatae sunt; sed multæ etiam quæ deinceps exortæ sunt hæreses confusæ et convictæ dissiparentur. Ea propter cum tanti Doctoris opera sole clariora, sine ullo prorsus errore conscripta, quibus Ecclesiam Christi mirâ eruditio[n]e clarificavit inoffenso pede decurri possint: nos qui peculiari pietate ac veneratione eundem Ang. Doctorem semper prosequuti sumus, quemadmodum Romani Pontifices prædecessores nostri magno etiam in honore ipsius doctrinam habentes, meritis quoque laudibus cumularunt, nostris itidem Apostolicis vocibus

collaudantes , statutum ejusmodi approbamus et confirmamus , necnon Apostolici præsidii munimine roboramus , ita ut deinceps nemo ex Magistris , sive Lectoribus ejusdem Collegii Dionysiani aliam doctrinam , ac præsertim in rebus Theologicis præter unicam S. Thom. doctrinam in Scholis et Cathedris dicti Collegii auditoribus legere , tradere , et explicare unquam possit : Præterea eisdem Magistris et Lectoribus in virtute sanctæ obedientiæ et sub pœnis et censuris Ecclesiasticis nobis et Romano Pont. pro tempore existente reservatis , à quibus , à nemine præterquam in mortis articulo absolvi quisque valeat , districtè præcipimus et mandamus , ut omnes et singulas opiniones in rebus præsertim Theologicis à commendatissima S. Thomæ doctrinâ alienas legere , tradere , et explicare omnino abstineant . , ,

A referendis encomiis D. Thom.
eiusque doctrinæ , quæ in suis ope-
ribus passim reperiuntur consulto abs-
tineo , cum hactenus dicta satis,
abundequæ ad declarandam ejus men-
tem sufficient.

Adsit pro coronide Sanctissimus Pius VI.
Dominus noster Pius VI. qui hodie
nunc Ecclesiam Christi gubernat , at-
que utinam Sospes , incolumisque in
æternum vivat. Hic in alloquutione
habita in comitiis item generalibus
Ordinis Fratrum Prædic. Romæ XVII
Kalendas Junii ann. 1777. postquam
vocales omnes adhortatus esset , ut
illum in eligendo Magistro Ordinis
generali cæteris præfertent , qui in
scholis custodiri vellet germanam
doctrinam Angelici Magistri , proti-
nus addidit : " inter multiplices Scho-
" las Thomas Aquinas Sol Doctrinæ,
" et Theologorum Antesignanus jure
" fuit appellatus , cum nihil , nisi è


„Sacrarum Litterarum , Patrumque
 „consensu asserat , ac quidquid
 „scripsit , meruit (ut pie fertur) di-
 vina voce confirmari : proindeque
 „Prædecessores nostri eximiis præco-
 „niis commendarunt tamquam Chris-
 tianæ Religionis Clipeum , firmum-
 „que Ecclesiæ præsidium , ac no-
 „vissime Benedictus XIV. cuius sa-
 „cientiæ intimi admiratores fuimus,
 „Thomisticam Doctrinam restitui jus-
 „sit in Collegio S. Dionysii Areopa-
 „gitæ Montis Illipulitani extra Civita-
 „tem Granatensem , proposita Sacro-
 „rum interdictionis pœna cuicunque
 „qui ab ea recessisset :: (1) et infra.”
 „Imcumbite igitur , ac Suffragia
 „vestra dirigite in eum , de quo haud
 „incertum sit , an à majorum ves-
 „trorum studiis non abscesserit , an

(1) Lit. in form. Brev. die 11 Decemb. 1752.
 impres. in collect. actor. capit. generalis
 Ord. Prædic. habit. Romæ 3. Julii 1756.
 p. 41.

„in hodierna doctrinæ depravatione,
 „in tanta Ecclesiasticæ Doctrinæ per-
 „turbatione , ac pene interitu , ne-
 „que indulturus , neque ullo mo-
 „do passurus sit , ut *Divinum Tho-*
mæ eloquium quasi novella doctrina
 „discutiatur , et otiosa disputatione
 „impugnetur.” modestus omittit

Hujusmodi testimonia Summorum
 Pontif. quæ in hoc capite transcripta
 sunt , aperte indicant Sedem Apos-
 tolicam ab obitu S. Thomæ semper
 doctrinam ejus suspexisse tamquam
 Ecclesiæ columnen , veritatis firma-
 mentum , et contra virus hæretico-
 rum præsentissimum antidotum : si-
 quis vero animadvertat posteriores
 Summos Pontif. in promendis D.
 Thomæ laudibus profusiores esse , is
 certe agnoscat non aliam ob causam
 accidisse , quam quod mendacii Spi-
 ritus fortissima molimina his postre-
 mis temporibus tentavit ad veritatis

scientiam evertendam : vel fortasse,
quia cœlesti cognitione instructi, zelo-
que communis Ecclesiæ boni ducti , et
concipiebant , et aliis inspirare vole-
bant altiorem ideam doctrinæ D. Tho-
mæ animarum fructui profectuique Re-
ligionis ex illa quotidie ortis acommo-
datam : Hinc tantum cum Benedic-
to XIII. concludere oportet , *Suppli-
ces Deum rogate , ut sincero Angeli-
ci Doctoris doctrinæ studio omnes in
simplicitate animæ nitantur comprehen-
dere , quæ ipse docuit , ac in vinculo
Charitatis Christi , quæ ipse egit , stu-
deant imitatione complere.*



CAPUT IV.

Conciliarum auctoritas.

Etsi omnibus omnino hominibus
oracula Supremi Ecclesiæ Pastoris
ejusdemque in terris Christi Vicarii

sufficere possint , ac debeant , ut suscipiant reverenter , avide perlegant , studiose sequantur , siquam per illum viderint probatam , laudatamque doctrinam , ingens tamen sine dubio illius commendationi pondus accedit , cum nedum Ecclesiæ caput , sed et omnes toto terrarum orbe diffusi Pastores , ejus Sententiis imbuti conspiciuntur. Quod tunc liquido apparet , cum in Concilio pro communi Ecclesiæ bono congregati ad doctrinam illam tamquam ad lidium lapidem recurrunt ; ex illa sua decreta conficiunt , per illam dubia resolvunt , illa demum duce , sive in condendis fidei definitionibus , sive in regulis morum statuendis utuntur. Hujusmodi esse doctrinam D. Thomæ ille solum inficiabitur , qui Ecclesiasticam historiam , et Conciliorum præsertim Æcumenicorum notitiam neque à primo , ut ajunt,

limine salutaverit. Sic ergo postquam primos Ecclesiæ Pastores Div. Thomæ acclamantes audivimus , publice prædicantes ipsum esse lumen Ecclesiæ Catholicæ ; quomodo in Conciliis doctrina ejus irradiaverit , videamus , ne forte mendaces , quo absit , Patres nostri inveniantur.

Concilium
Lugdunen. II.
ann. 1274.

Atque in primis Concilium generale Lugdunense II. cui morte præventus D. Thomas interesse non potuit , ex ejus opusculo contra errores Græcorum promptissima eaque fortissima arma deprompsit ad stabiendam processionem Spiritus Sancti ex Patre , Filioque , unde tota inter Græcos , et Occidentales dissensio oriebatur , omnesque illorum cavillationes , omnia sophismata dissipata sunt , ope , vi , ac efficacia doctrinæ ab eodem S. Doctore tum in prælaudato opusculo traditæ , tum in I. p. Summæ suæ Theologiæ , cuius

verba etiam in capite de Summa Trinitate videri possunt (1).

In Viennensi Concilio **Œcumenico** nendum doctrina D. Thomæ approbata est, sed et tanto in honore fuit habita, ut nec minimum Canonem reperiri fas sit, qui non ex resolutione expressâ alicujus articuli S. Doctoris sit depromptus: quin et Beguardorum, Beguinarumque errores, eisdem pæne verbis à PP. Concilii proscripti sunt, queis D. Thomas in Summa sua Theologica præoccupando damnaverat. Qui plenius hac in re instrui desideret, adeat Ignatum Galban volum. 1. lib. 3. cap. 3. et Gravinam Cherubim Paradisi lib. 2. cap. 5. n. 3. 4. 5. ubi decisiones Concilii cum articulis D. Thomæ collatas inveniet.

F

(1) Ita Cajet. Banez, Seraphim 1. p. q. 36.
et Viescas tom. 1. in 1. p. quæst. proœm. de
doct. D. Thomæ dubio 6.

Constantiense Quo loco D. Thomás ejusque
 ann. 1413. doctrina , in Constantiensi Œcume-
 nica Synodo haberentur , esto ex
 condemnatione errorum Joannis Wi-
 clef , Joannis Hus , et Hieronymi
 Pragensis abunde cognosci possit,
 cum ex ejus doctrina convicti , dam-
 natique fuerint , non tamen ex aliis
 testimoniis evidentius colligi potest,
 quam ex inimicorum Ecclesiæ spon-
 tanea confessione. Audiatur Lutherus,
 qui in libro contra Brunonem (1) ait:
 "Constantiæ in Concilio Joannes
 Hus, et Hieronymus Pragensis dam-
 nati , atque exusti sunt , vere
 sancti , filii et martyres Dei. Contra
 vero Thomas Aquinas fons , et sen-
 tina omnis hæreseos , errorisque,
 et extinctionis Evangelii , sicut
 indicant libri ejus , exaltatus fuit."
 Ita Virulentus ille homo efutiebat,

(1) Apud Coccæum in actis et scriptis Lu-
 theri ann. 1524.

ferre non valens , quod doctrina D.
Thomæ tamquam acutissimo gladio
duo illa hæreticæ pravitatis capita
confossa fuerint.

Quid Florentinum doctrinæ D. Florentinum
Thomæ detulerit , ex ejus actis col-
ligitur. Semel , atque iterum nedum
ejus sententia profertur , sed et pro-
prio nomine allegatur. Hoc videre est,
in Ses. 7. ubi expenditur quidam
locus Summæ suæ contra Gentiles
lib. 4. cap. 23. et in Ses. 12. ubi in
Confirmationem rei de qua agitur, ad-
ducitur quod D. Thomas docuerat
2. 2. q. 1. art. 10. : quin et verba in
Sess. 25. in Decreto Unionis appo-
sita excerpta sunt ex Angelico Docto-
re 1. p. q. 36. art. 2. et 3. Tota igitur
doctrina D. Thomæ quodammodo
consecrata est , et à Concilio usur-
pata , maximè , quæ statuit proces-
sionem Spiritus Sancti ex Patre , et
Filio : quod Filius non sit ejus cau-

sa , sed principium : quod vera consecratio Corporis Christi fiat æque in azymo pane ac in fermentato : quod animæ purgantes juventur sacrificiis , et orationibus Fidelium : quod in inferno variarum differentiâ pœnarum pro qualitate delictorum damnati puniantur : quod purgatæ animæ statim in Cœlum rapiantur : sed quid moror ? Non à vero aberrabit , qui dixerit , Concilium Florentinum compendium esse Summæ Divi Thomæ.

Certum est insuper , ac indubitatum , quod ex rationibus à Fr. Joanne à Montenigro in Concilio allatis ad retundendum Schisma Græcorum , quibus resistere non valuerunt , admoniti Græci eas ex armamentario doctrinæ D. Thomæ de promptas esse , tanti illam fecerunt , ut labori non parerent , quo ejus opera diligenter perquirerent , ac semel habita in proprium transferrent

Sermonem, quod et Genadius Patriarcha Constantinopolitanus, et Besarion postmodum S. R. E. Cardinalis cumulatissime præstitere. Hoc ut ab aliis, refertur à Domino Thoma de Aquino Cleric. Regul. *Vinea Christi* cap. 6. his verbis, *ubi compertum babuere, ab Aquino sacras defluxisse sapientiæ undas, ad se derivare tentant sapientiæ fontem.* Ita PP. Græci ut Latinam Disciplinam in Græciam traducerent, D. Thomæ Summam Latino idiomate compositam in Græcum traduxere.

In Lateranensi V. sub Julio II. inchoato nihil in definitionibus fidei actum est, quod non adamussim ex D. Thoma deprompserint PP. maximè id agente Thoma de Vio Cardinali Cajetano, cuius erga doctrinam S. Doctoris amor, et illius sententiarum acuratissima intelligentia nemini non nota sunt. In hoc eodem

Lateranense
V. ann. 1512.

Concilio quæstio illa , quæ ab Heterodoxis ut philosophica pure inspiciebatur , tamquam de fide ex doctrina D. Thomæ definita est , videlicet , *quod anima rationalis est immortalis , et per se et essentialiter forma corporis humani , et multiplicabilis in corporibus , non una tantum in omnibus.*

Tridentinum De Tridentino autem , quis enarrann. 1545. inchoat , et rare sufficiat (verba sunt Eminens absol. 1563. tissimi Cardinalis Baronii in Martyr.

Rom. anot. ad diem 7. Martii) quot vir sanctissimus , atque eruditissimus , Thomas Aquinas Theologorum præconiis celebretur , quantumque illius illibatae doctrinæ à SS. PP. in Sacrosancto Oecumenico Concilio Tridentino considentibus fuerit acclamatum ? " In aulæ magnæ medio , ubi erant congregati Sanctæ Tridentinæ Sinodi Præsules ac Doctissimi PP. fidedignissimi retulerunt , mensam extitisse Sacro Librorum pon-

dere gravem , in qua hi sacri codices inspiciebantur , Sacra Scriptura , Decreta Pontificum , et S. Thomæ Summa. Expende quo honore habita, quæ inter Codices divinos numeratur. Par erat , ut post divinos Libros Angelici recenserentur.” *Ita loquitur Dominus Thomas de Aquino lib. 2. cap. 6. de politia Christiana.*

Quanto porro D. Thomæ doctrina honore , quantâ reverentiâ à PP. Concilii haberetur id vel maximè confirmat , quod in Sess. 21. accidisse refert Didacus de Payva Lusitanus , à Rege Sebastiano Theologus ad Concilium missus. Hic ut ocularis testis sic loquitur : (tom. 2. Serm. de Sanctis Sermone 2. de D. Thoma) “ celebrabatur forte Sessio 21. Concilii , visumque fuit Legatis opore tune Decreto illi addi debere , tanquam rem omnibus notissimam „ Christum Dominum in ultima cœ-

„na suos Apostolos in Sacerdotes
 „ordinasse illis verbis : *boc facite in*
 „*meam commemorationem.* Jam fere
 „discussum erat negotium , et præs-
 „to suffragia , et res in concordia,
 „cum nescio quis ex Patrum con-
 „sessu (1) in eam vocem erupit
 „videri sibi D. Thomam 3. p. q. 73.
 „art. 5. ad 3. sentire Christum Do-
 „minum nihil aliud ordinasse in his
 „verbis quam quod illud Sacrosanc-
 „tum Mysterium in Passionis ejus
 „memoriam celebraretur. Mirum !
 „Sumitur jussu Concilii liber , no-
 „tatur locus , discutitur , cumque
 „in ejus intelligentia paululum hæsi-
 „taretur , tantum injectit ponderis in
 „Concilii lancem sola D. Thomæ
 „auctoritas adhuc dubitata , ut pla-
 „cuerit Concilio potius Decretum
 „suspendere , quam stante dubita-

(1) Is fuit Illustrissimus D. D. Petrus Guerre-
ro Archiepiscopus Granatensis.

„tione de sensu D. Thomæ alioquin
 „definire. Dilatum est judicium , et
 „majori otio de mente S. Doctoris
 „disputatum : cumque inveniretur
 „nihil in præfata assertione contra
 „D. Thomæ sententiam definiri, se-
 „quenti sessione ab universo Con-
 „cilio sancita fuit. Hactenus ille.

Aposite post hujusmodi verba
 relata addit Fr. Joannes à S. Tho-
 ma (1). “*Quid ad hæc dicent , qui
 tam libero animo D. Thomæ sensum,
 non dubitatum , sed certum , et cons-
 tantem nullo scrupulo rejiciunt ? hæret
 Ecclesia , anxiatur , suspenditur , de-
 finitio jam in procinctu detinetur , ne
 etiam sub dubio sensus D. Thomæ præ-
 termittatur : proculdubio quia mens Con-
 cilii Thomas erat.*” Quin et Gravina
 ad hujus facti enarrationem stupens
 subjungit (2): “*Si Concilium adeo ve-*

(1) In 1. p. disp. 1. art. 2.

(2) Cherubim Paradysi lib. 2. cap. 5. n. 3.

*neratum est doctrinam D. Thomæ ut
in re tam gravi manum suspenderit à
subscriptione , et Decreti assignatione,
ecquis erit adeo præceps , ut in eum
Doctorem irruat temerè , quem tanti
fecit Ecclesia? ”*

Neque vero in hac tantum controversia Angelici Magistri doctrina à Patribus Concilii plausibus excipitur : quin et fere omnia Concilii Decreta adamussim ex ejus articulis desumpta sunt. Audiatur Pater Thomas Pius à Ponte Societatis Jesu (1). “Concilia omnia , inquit , tam Ge-
”neralia , quam Provincialia quæ
”post D. Thomam acta fuerunt , Ca-
”nones suos , et Decreta juxta hu-
”jus S. Doctoris doctrinam præci-
”pue ediderunt , ut ex Generalibus
”Florentino , Lateranensi , et Tri-
”dentino constare cuivis potest , et ex
”multis Provincialibus , sed unum

(1) In r. p. q. unica prolog. dubio 14.

„vobis Tridentinum Sanctissimum,
 „ac gravissimum sit pro omnibus,
 „quod gravissimas ac difficillimas
 „tractavit, ac decrevit Materias Theo-
 „logicas , omnes vero ejus Canones
 „et Decreta sumpta videntur ex
 „doctrina , et articulis D. Thomæ,
 „in quibus eas tractavit et dissolvit
 „quæstiones : constabit hoc facile
 „consideranti capita , et Canones
 „Sessionis 6. hujus Concilii, qui sunt
 „de justificatione , gratia , et meri-
 „to : et de Sessione 7. quæ est de
 „Sacramentis in genere , Baptismo,
 „et Confirmatione : ex Sessione 13.
 „quæ est de Augustissimo Eucha-
 „ristiæ Sacramento : ex Sess. 14. quæ
 „est de Sacram. Pœnitentiæ et Ex-
 „tremæ Unctionis : ex Sess. 22. quæ
 „est de Sacrificio Missæ : ex Sess.
 „23. quæ est de Sacram. Ordinis:
 „tandem ex Sess. 24. quæ est de
 „Sacram. Matrimonii. In his ergo

„omnibus Sancta Synodus unum et
 „sequi et probare videtur Doctorem
 „D. Thomam , ut legenti , et con-
 „ferenti facile patebit.” Hæc ille.

Et quidem de Sess. 6. quæ est de justificatione , hoc idem testatur Illustrissimus Dominus Jacobus Benignus Bossuet (1) qui doctrinam S. Concilii Tridentini de justificatione explicaturus ita ait : *Hanc doctrinam ex S. Thoma de promptam esse , immo ex ejus verbis pæne contextam postea demonstrabimus.*

Similiter totam doctrinam noni Canonis 14. Sessionis Concilium hausit ex opusculo à D. Thoma edito de forma absolutionis.

Hæc omnia paucis verbis complexus est Hieronymus Wielmius Episcopus Argolicensis , qui eidem Concilio interfuit his verbis (2) “cer-

(1) Tract. de dilect. Dei pag. 22.

(2) Lib. I. de Scriptis S. Thomæ.

„tè in hac Tridentina OEcumenica
 „Synodo , quam cùm hæc scribimus ,
 „frequentissimam celebramus , nemo
 „Patrum esse videtur , cui Religio
 „non sit , cum de fidei Dogmatibus
 „agitur à Thomæ sententia , vel la-
 „tum ungem abscedere , aut ab illa
 „provocare , ut et à veteribus Patri-
 „bus nihil minus Aquinas habuerit ,
 „et Scholastici omnes Principem hunc
 „suum receperint modis omnibus or-
 „natissimum.”

Sed quid moramur? unus pro omnibus loquatur , qui in consessu omnium Patrum Concilii Tridentini orationem in die festo S. Thomæ pronunciavit (1) , is Sanctissimos illos Patres alloquens ita ajebat : “ Non potuit (D. Thomas) Ecclesiasticis interesse Conciliis morte præventus ,

(1) Hic fuit Fr. Joannes Gallo Doctor Theologus ad Concilium missus à Catholico Regis Philippo II.

„verum ecce superstes atque in æter-
 „num victurus vobis adest : bona
 „sua , spirituales doctrinæ Thesau-
 „ros , hereditario jure vobis delega-
 „vit. Nulla proinde ab ejus felici
 „transitu Concilia sine Sacro Doc-
 „tore celebrata sunt : ut enim de
 „cæteris sileam , quod audimus , quod
 „videmus , quod manibus nostris
 „contrectamus , quidni aperta voce
 „ad ejus laudem testemur? vestra co-
 „mitia perpendite , ex plurimo , eo-
 „que honorabili DD. cætu , quo-
 „tusquisque Consultor accedit , qui
 „D. Thomæ auctoritate veluti splen-
 „descente gemma suam sententiam
 „non exornet ? At in consultissimo
 „Patrum recessu Doctor hic senten-
 „tiam rogatus frequentissime censet,
 „ad quem ut ad Liddium lapidem,
 „siquid ambiguitatis , aut controver-
 „siæ fuit exortum , communibus vo-
 „tis referendum existimetis , et qui

„eum sui placiti Patronum obtinuerit , incertam judiciorum aleam non sit habiturus , quin secundum eum sententia ferenda sit.”

Poterit ne quidquam Splendidius, clariusve pronuntiari , ut omnibus quanto in honore à Patribus Concilii Tridentini S. Thomas sit habitus innotescat?

Conciliorum Provincialium mentionem nullam facere decrevi , ne Lectoribus tedium ingerat opus , et quia , approbatione doctrinæ D. Thomæ facta in Generalibus Conciliis inspecta , nihil est quod desiderari possit : unum tantum , vel alterum addemus , atque imprimis Arelatense Concilium occurrit : Cum enim D. Thomas adhuc vivens acri sanctæ fidei commotus (1) zelo gnaviter decertaverit adversus quosdam spiritus

Arelatense
III.ann.1268.

(1) Verba sunt Mr. Bayllor tom. I. vitæ S. Thomæ.

in Sanctam Sedem injuriosos , ex quibus postmodum Fratriceli prodierunt , ille vero unitatem Ecclesiae propugnaverit , Libellumque cui titulus *Evangelium æternum* confutaverit , diris devoverit , flammisque adjudicari fecerit , ejus doctrinâ protecti Arelatensis Concilii Patres in ipsum Libellum , ejusque doctrinæ Sectatores anathema pronunciarunt (1).

Coloniense item Concilium jure merito his accenseri debet : esto enim *Œcumenicum* non sit , celebratum tamen est à Cardinali Cussa auctoritate Sedis Apostolicæ , consensuque Archiepiscopi Thierry : in eo statutum fuit” quod in Synodis Diocesanis legerentur tractatus de articulis Fidei , et de Sacramentis à D. Thoma compositi , simulque adi-

(1) Ita refert Dupin hist. sœculi XIII. pag. 556.


gerentur Parochi , ut solicite studio
incumberent omnium eorum , quæ
à Doctore Angelico de Sacramentis
Ecclesiæ scripta sunt.”

Neque vero prætereundum est, Cathecismus
Concilii Tri-
dentini.
quod Cathecismus Concilii Tridenti-
ni , et à Discipulis D. Thomæ (1) et
fere unice ex doctrina , verbisque
eius compactus sit. Cum autem hic,
et à Summis Pontif. toti Ecclesiæ da-
tus sit tamquam universæ doctrinæ
christianæ compendium , in quo quid-
quid in omnibus retro habitis Con-
ciliis maximeque in Tridentino stabi-
litum fuit , tūm de fide , tūm de
moribus , de disciplina item , de ad-
ministratione , usque Sacramento-
rum cumulate traditur : Et pari ho-
nore , venerationeque à compluribus,
ne dicam ab omnibus Conciliis Pro-

G

(1) Compositus à Leonardo Marini Archie-
piscopo Lanciano , Egidio Foscarari Episcopo
Mutinensi , et Francisco Forerio tribus ex Or-
dine Prædicatorum.

vincialibus receptus sit , simulque à permultis hisque Doctissimis Præsulibus in examine promovendorum ad Curata Beneficia prælectiones super eo fieri stabilitum sit , prout videre est hac nostra ætate in Archiepiscopatibus Toletano , Valentino , Episcopatu Segoviensi , aliisque ; palam est nihil in doctrina D. Thomæ à Præsulibus doctis , integerrimisque , verisque Ecclesiæ Pastoribus desiderari sive ad fidem stabiendam , sive ad mores componendos , sive ad docendum populos , fidelesque exhortandum in doctrina sana.



CAPUT V.

*Quid Universitates de Doctrina D.
Thomæ senserint.*

Nullus hominum est , qui nesciat quantum ponderis in approbatione cu-

juscu mque doctrinæ habeat judicium alicujus Universitatis , quæ scientiæ laude clareat. Potiori jure à sapientibus omnibus suscipienda illa sententia erit , quæ ab unanimi , perpetua , constante omnium Universitatum consensione procedat. Hæ sunt Magistræ populi Christiani , Seminaria Prælatorum , virorumque omnium , quibus gregis Dominici instruendi cura est. Itane vero D.O.M. illas omnes in errorem præcipites se dari permittet , ut calculo suo probent , quod in perniciem Reipublicæ Christianæ vergere possit ? Absit : Nunc igitur è re nostra erit , quamnam Universitates fere omnes de S. Thomæ doctrina protulerint sententiam , paucis indicare.

Mittimus pro nunc contentiosam illam æmulationem , qua ann. 1272. à Capitulo generali Patrum Prædicatorum Florentiæ celebrato pluri-

gij

mæ Universitates expetierunt , ut ad publicam Studentium instructionem D. Thomam Doctorem ad se mitteret. Bononiensis ne sibi auferretur contendebat , Parisiensis ut sibi redderetur expetebat ; Neapolitana tandem obtinuit , quod volebat , operâ Caroli I. Regis , cui gratulabunda pro tanto munere gratias egit.

Parisiensis. Ad singulas vero in particulari descendendo , primo loco occurrit Parisiensis Academia , quæ sicut doctrinæ D. Thomæ radiis meruit diutius illustrari , ejusque Magisterio frui , sic supra omnes Orbis Academias , et devotissima , et ut ita dicam in tuenda ejus doctrina superstитiosa fuit , adeo ut dicere licuerit Doctissimo Cardinali Perron , qui ultimo sæculo floruit : *Summa D. Thomæ tamquam Theologiæ Oraculum semper suspecta fuit , sine intermissione publice explicata , et (si ita loqui fas*

est) jugiter adorata in Schola Parisiensi (1). Jam dictum est cap. I. §. I. quantum D. Thomæ detulerit hæc Universitas, dum adhuc in vivis ageret, cum omnes professi sunt se constanter sententiam illam de Eucharistiæ Sacramento propugnaturos, quam tantus Doctor calculo suo probasset. Post mortem vero ad Cipitulum generale, quod tunc Lugduni à FFr. Prædicatoribus celebrabatur, litteris datis, hæc inter alia interserunt : “Quis posset existimare „Divinam Providentiam permisisse „Stellam matutinam præminentem „in Mundo, jubar in lucem sæculi, „immo ut verius dicamus, luminare „majus, quod præerat diei, suos „radios retraxisse? Plane irrationabiliter judicamus suum revocasse „fulgorem, et passum fuisse umbro-

G iiij

(1) In alloquitione habita in consessu generali Statuum Regni ann. 1615.

„sam Eclipsim , cum toti Ecclesiæ
 „tanti splendoris radius est substrac-
 „tus :: Nihilominus , si antiquorum
 „Philosophorum auctoritatibus vel-
 „lemus inniti , eum videbatur Con-
 „ditor noster specialiter posuisse *Na-*
 „*turam* ad ipsius naturæ occulta illu-
 „cidanda.” Ibi similiter vocat eum
Patrem , et *Doctorem* , simulque ex-
 postulat à Capitulo , *ut sibi mittat*
quædam scripta Philosophiam spectan-
tia , *specialiter super Libros de Cœlo,*
et mundo , *et expositionem Thimæi*
Platonis , *atque de aquarum conducti-*
bis , *et ingenii erigendis* , *et si quæ*
similiter ad Logicam pertinentia com-
posuit (1).

Non minus gloriosum testimo-
 nium dedit doctrinæ D. Thomæ Ste-
 phanus tertius Episcopus Parisiensis
 in Decreto sub dat. ann. 1324. die

(1) Datæ sunt hæ litteræ Parisiis ann. 1274.
 habenturque apud Duvoulay tom. 5. histor.
 Univers. pag. 408.

jovis ante Cineres , nomine totius Universitatis vulgato , ubi de D. Thoma Sermonem instituens , hæc habet : “*Præsertim cum fuerit , et sit Universalis Ecclesiæ lumen præfulgidum , gemma radians Clericorum , fons Doctorum , Universitatis nostræ Parisiensis speculum clarissimum , et insigne , claritate vitæ , famæ et doctrinæ , velut stella splendida , et matutina refulgens “Rursus illud addit.”*

Comperto per Dei gratiam Confessorem Beatum , et Doctorem egregium nihil sensisse , docuisse , seu scripsisse quod scientiæ , fidei , vel moribus aduersetur .”

Post Parisiensem Academiam jure merito Salmantina occurrit , ut pote quæ et illius Filia , et fœcunditate Virorum Illustrium minime secunda existit : Hæc ergo tantum doctrinæ D. Thomæ honorem detulit , ut Clientes suos juramento obstrinxerit se numquam discessuros à

sequela illius doctrinæ : En formulam juramenti : "juro in quotidianis lectionibus quas in Academia , vel Cathedræ Moderator, vel voluntarius Professor legero , me docturum , atque lecturum in Theologia Scholastica Doctrinam S. Augustini , et conclusiones D. Thomæ, quas in Summa Theologiæ docet, ubi horum SS. mens aperta fuerit, ubi vero anceps , et dubia , nihil docturum , neque lecturum , quod eorum doctrinæ adversari senserim, sed quod juxta meum sensum , vel eorum qui Discipuli SS. Augustini , et Thomæ communiter censemur, tantorum Patrum doctrinæ magis conforme judicaverim." Decretum hoc editum fuit , 9. Junii. 1627. In litteris vero supplicibus directis ad Senatum magnum Castellæ pro obtainenda illius confirmatione expressè testatur Universitas , "causas omnes,

„quæ Professores suos feliciter necessi-
 „tarunt ad sequendam unanimiter pu-
 „ram doctrinam SS. Augustini et Tho-
 „mæ, respicere gloriam Dei , bonum
 „Ecclesiæ, publicam utilitatem, Regni
 „pacem , et tranquilitatem , rectam
 „juventutis educationem, scientiarum
 „profectum , denique demissam ve-
 „nerationem Patribus Ecclesiæ , ce-
 „lebrioribusque Doctoribus debitam.”
 Sic ab antiquis temporibus de D.
 Thomæ doctrina Sapientissimi Viri
 ita senserunt , ut sine ea et publi-
 cam utilitatem , et Regni pacem et
 tranquilitatem prorsus eliminandas
 fore crediderint. Videant qui illam
 suscipere detrectant , ne dum ami-
 cos Patriæ se jactant , hostes et pe-
 remptores deprehendantur.

Nec certe præteriri oportet quod
 eadem Academia , venerationis , re-
 verentiæque erga folia ipsa Summæ
 Angelicæ protulit testimonium : hoc

habetur, ex statuto 10. tit. 62. sic
 præcipiente: "mandamus studiorum
 „Præfecto, seu Rectori, et illius Ju-
 „dici, ne ob civilia debita faciant
 „sequestrare, aut vendere Libros
 „Scholasticorum, quandiu Lectores
 „audiunt, quod tamen de solis Li-
 „bris ad intelligentiam lectionum ne-
 „cessariis accipiendum est, quales
 „sunt utrumque corpus juris civilis,
 „et canonici pro Jurisconsultis, et Sum-
 „ma S. Thomæ pro Theologis."

Eademmet Universitas in resolu-
 tione ad Supremum Senatum Cas-
 tellæ missa, ab omnibusque nemine
 discrepante approbata die 23 Fe-
 bruario 1760. super quæstione qua-
 dam ab ipsomet Senatu proposita,
 inter alia, de D. Thomæ doctrina
 sermonem faciens, et adstruit, et
 probat, "Doctorem Angelicum cri-
 „ticâ insigni pollere, in modo ex-
 „plicandi quæstiones etiam difficilli-

„mas , celsè , clarè , acuteque se
 „habere , in rebus Philosophicis nul-
 „lam partialitatem ostendere , nedum
 „Philosophorum dictis , sed et sacra
 „eruditione, Scripturarumque, Conci-
 „liorum , ac Patrum sententiis pro-
 „prias conclusiones stabilire.”

Ipsa rursus in privata sententia,
 quam rogata ab eodem Supremo Se-
 natu protulit die 1. Augusti ann.
 1780. Cum forte D. Thomæ men-
 tionem faceret , dum execraretur Auc-
 torem quendam , qui in rebus qui-
 busdam Philosophicis D. Thomæ
 opinionem despectui habebat , hæc
 interserit : “*Nos bujusmodi Philoso-
 phos cum D. Thoma comparantes jure
 optimo usurpare possumus , quod Ci-
 cero de Platone , et Socrate ajebat ,
 cum illos Sectariis Carneadis et Epi-
 curi prætulisset : Plato , et Socrates
 ut rationem non redderent , auctorita-
 te tamen hos minutos Philosophos vin-*

cerent. (1)." Certe , addunt Salmantini DD. necdum de illis aliquis *Summus Pontifex protulit* , quod de *D. Thoma Clemens VIII.* doctrinæ quidem testis est *ingens librorum numerus* , quos ille brevissimo tempore, in omni *Disciplinarum genere* , singulari ordine , ac mira perspicuitate sine ullo prorsus errore conscripsit."

Huic finitima est Complutensis, Complutensis. in scientiæ, fœcunditatisque laude non impar. Hæc ab incunabulis doctrinam D. Thomæ amplexata est , ejusque vestigia cum juramento premit , ipsum nedum in Doctorem , sed in Patronum elegit , de illaque ait "Doc-
 „trina firmissima est et inconcusa,
 „quæ falsa hæreticorum dogmata,
 „quæ perfidiam Arrianam , quæ Ju-
 „dæorum vesanam malitiam, quæ Gen-
 „tilium Philosophorum versutiam, quæ
 „denique Schismaticorum abominan-

(1) Lib. I. de Divinit.

„dam scissuram concutiat (1). Illum
„denique Angelum inter Doctores
„Doctorem inter Angelos prædicat.”

Vallis-Oletana non minus erga D. Vallis-Ole-
tana.

Thomæ doctrinam affectam se præ-
buit , ac præbet : In ejus verba jurat,
Dogmata tuetur , et ut amplius ma-
ximæ erga suum Doctorem venera-
tionis signa demonstret , quotannis
omnes ejus DD. infulati ad Conven-
tum S. Pauli Vallis-Oletanum acce-
dunt die 7. Martii Sacra facturi, Ora-
tionemque de D. Thomæ laudibus
audituri.

Quid de Tolosana dicemus ? Si Tolosana.
olim Urbanus V. Universis ejus Pro-
fessoribus præcepit , ut doctrinam D.
Thomæ tanquam veridicam , et ca-
tholicam sectarentur , eamque stu-
derent totis viribus ampliare , merito
dici potest Sapientissimam Acadē-

(1) Ita refert Joannes à Sancta Maria in
vita S. Thomæ cap. 24.

miam , et cumulatissime olim , et
 etiam nunc feliciter votis hujusmodi
 respondere. Fere innumerarē pro-
 bationes afferre possemus ; sed pro
 omnibus sufficiat judicium de ejus
 doctrina prolatum à R. P. Francisco
 Gilbert Societatis Jesu in oratione
 coram Universitate habita , et typis
 mandata. “Divinum , inquit , hunc
 „ardorem nutrit Dignissimus Dominici
 „Filius S. Thomas , ille Scholæ An-
 „gelus , ille quem nullus unquam
 „sinistræ suspicionis rumor aspersit,
 „ille fidei scutum inexpugnabile , et
 „Clypeus Ecclesiæ adversariis terri-
 „bilis :: Academia hæc non solum
 „Corpus , sed etiam spiritum habet,
 „Doctrinam S. Thomæ profitens , et
 „propriâ sponte , et voluntate Ponti-
 „ficum qui Sanctissimum Doctorem
 „Academiæ Tolosanæ Ducem , et
 „Doctorem præfecerunt.”

Lovaniensis. Universitas Loyaniensis ita erga

D. Thomam amore exarsit, ut Doc-
torem simul ac Patronum elegerit,
Pontificium Diploma ab Alexandro
VII. acceperit, in quo hoc Univer-
sitatis Studium impense laudat, com-
mendatque semper sequenda et im-
pense reverenda, *inconcussa, tutissi-*
maque Dogmata SS. Augustini et Tho-
mæ. Et ut gratias Deo agerent die
6. Novembris ann. 1660. de man-
dato Decani et cæterorum Magistro-
rum notum omnibus factum est, ut
ad Missam celebrandam concurre-
rent, addentes in hujusmodi Decre-
to hæc verba notatu dignissima. *Quod*
(præceptum Summi Pontif.) *cum non*
tantum in dictæ facultatis, sed in to-
tius Ecclesiæ bonum cessurum optimè
optime confidant, rogant omnes, et
singuli eidem Missæ, &c.

Eadem Academia Lovaniensis
adeo D. Thomam colit, ac venera-
tur, ut etiam speciali statuto tenean-

tur illius Alumni ad S. Thomæ nomen prolatum , nudato , pronoque capite reverentiam illi exhibere (1). Anno 1496. octavo Kalendas Maii decrevit , quod pro Mag. Sententiarum Libris Theologicum D. Thomæ opus in Sacro auditorio explicaretur (2). Quin et Serenissimus Rex Philippus Secundus cum eandem Universitatem visitaret ann. 1559. et de doctrina interrogaret , cognito , quod D. Thomæ opera explicabantur , et probavit , et ut in perpetuum ita doceret , injunxit (3).

Duacensis. Duacensis non solum Ecclesiam FFr. Prædicatorum ad solitas Academiæ Congregationes elegit , sed voluit eleganti Statuæ S. Thomæ speciem referenti hanc subscribi epi-

(1) Ita Joannes à Sancta Maria in vita S. Thomæ cap. 14.

(2) Ita Bernuley lib. 2. Academ. Lovan. cap. I.

(3) Ita Cabrera historia Philip. II. lib. 5. cap. 3.

graphem "S. Thomae Aquinati Patrono
no Academiæ Duacensis.

Sed quidni faceret? Erat enim et propria devotione erga Angelicam Doctrinam affecta, et Serenissimi Philosophi Secundi Hispaniarum Regis decreto facta ferventior. Anno siquidem 1594. die 18. Decembris ex Matrito ad Archiducem Arnestum litteras, misit, præcipiens, ut in omnibus Universitatibus Flandro Belgicis suæ dictioni subjectis D. Thomæ textus in Theologia legeretur: hancque notatu dignissimam rationem reddit: ejus enim doctrina fulget Ecclesia, ut Sole Luna: et qui olim Bos mutus contemptibiliter audiebat, ita processit, ac crevit, ut Cherubinus, vel Angelicus dici, et esse meruerit, tūm à vitæ puritate, tūm à famæ celebritate, tūm ab scientiæ sublimitate, et doctrinæ certitudine, per quam velut stel-

„la splendida , et matutina refulget,
 „ut non Dominicanæ dumtaxat Fa-
 „miliæ honor sit , et speculum , sed
 „Universalis Ecclesiæ lumen præful-
 „gidum , gemma radians Sacerdotum,
 „fons Doctorum , Scholasticæ Theo-
 „logiæ Splendor , Flos , et Princeps,
 „Latinæ Ecclesiæ V. Doctor , ac to-
 „tius orbis lumen , Academiarum
 „omnium communis Magister , Ca-
 „tholicæ Fidei Athleta splendidissi-
 „mus , et fortissimus , cuius Scripto-
 „rum Clypeo Militans Ecclesia hæ-
 „reticorum tela feliciter elidit , quem
 „admodum dicit Paulus istius no-
 „minis V. Pontifex Maximus.” Hucus-
 que Sapientissimus , piissimus ac
 Catholicus Rex . (1).

Bononiensis
et Neapolita-
na.

De Universitatibus Bononiensi,
et Neapolitana quid dicemus? Ipsæ
enim sicut viventem D. Thomam

(1) Vide Silvium in r. p. præfat. encom. in
laud. D. Thomæ.

amplexatæ sunt , ita et ejus scripta post mortem veneratæ sunt , et ut in omnibus unanimiter susciperentur, docerenturque publicè , decreverunt, Professoribus suis de tuenda ipsius doctrina adjuratis.

Idem esto judicium de Patavina, Turinensi , Budensi à Mathia Rege Ungariæ ann. 1480 , restaurata ; Cantabrigensi , et Oxoniensi in priscam formam redactis sub tutamine Mariæ Reginæ Angliæ , Dilligensi ab Othono Cardinali , ac Episcopo Ausburgensi instaurata , Avenionensi, ubi Cathedræ quædam de novo erectæ fuerunt ab Illustrissimo D.D. Dominico de Marinis Archipræsule , ut genuina D. Thomæ littera tradetur magno Orbis , ac Universitatis bono , ac ornamento.

Conimbricensis in Portugaliæ Regno nedum D. Thomæ doctrinam amplexata est , sed et ipsum publice

deprædicat tamquam naturæ genium,
gratiæ miraculum , Orbis oculum , Ec-
clesiæ lumen ac columnæ , Christianita-
tis decus , omnium ingeniorum com-
pendium , Scholæ Magistrum , Docto-
rem Eucharisticum , sapientiæ Visum ,
et Antesignanum suum acclamat (1).

Mexicana. Mexicana , Manilensis , Pacensis ,
Peruviana , eodem plane modo doc-
trinam D. Thomæ venerantur , et
sequuntur ; ac Peruviana quidem ,
hæc in marmore scripsit : “ Qui Stu-
dii Sacræ Doctrinæ fontis sitit ha-
bere puritatem : qui inviolatæ pu-
ritatis dulcore pasci : qui vanos pra-
vorum Dogmatum errores optat de-
vitare : qui lumen veræ fidei , ac
cœlestis gloriæ vult respicere Doc-
trinam D. Thomæ respiciat , et se-
quatur. (2).

Præter has , in Hispania , Cæsar-
 (1) Ita P. Labbe encom. D. Thomæ n. 20.
 (2) P. Labb. ubi supra.

augustana, Oscensis, Toletana, Valentina, Abulensis, Pampilonensis, Hispalensis, Compostellana, et de Irache doctrinam D. Thomæ sequuntur, ordinem, methodumque servant, et in ejus verba jurant, quod et plurima Collegia præstant, ut de Collegio Dionysiano extra Muros Granatæ urbis in Monte Illipulitano Vallis Paradisi supra dictum est. (cap. 3.)

His aliisque documentis brevitatis causa missis diligenter inspectis, quilibet facili negotio intelliget, quod sicut olim pro themate in Magistri laurea percipienda, divinitus S. Thom. illa verba notata sunt: *rigans Montes de Superioribus suis* (1): Sic impræsentiarum felici omne, Orbis Christiani Montes, Universitates inquam, quæ et scientiæ magnitudine et cognitionum ubertate cæteris particularibus Gimnasiis, quantumvis

(1) Psalm. 103.

illustrioribus supereminenter, à Doctrina D. Thomæ tamquam Paradisi fonte irrigantur, et aqua sapientiæ salutaris undequaque perfunduntur, ita ut de fructu operum ejus satietur universa terra.

CAPUT VI.

§. I.

Ordinum Religiosorum de D. Thoma judicium.

Post præclarissima Mundi lumina, quæ fulgore doctrinæ suæ Ecclesiam illuminant: Imperiaque tamquam firmissimæ columnæ sustentant, post Universitates, inquam, convenientissimè Ordines Religiosi succedunt: qui in adjutorium Ecclesiæ Præsulibus à Deo dati et in stabilimentum Populi, prædicatione et doctrinâ fulgentes quod sine fictione ab Univer-

sitatibus didicerunt , sine invidiâ communicant, ex eisque tamquam fœcundis vitibus incliti Palmites alii aliis absque intermissione succedentes prodierunt , qui frondositate et fructuum abundantia piè solantur materna Ecclesiæ viscera , simulque protegunt ac defendunt. Hi ergo semper Div. Thomam tamquam Angelum suspexerunt , et ut Magistrum sequuti sunt , non declinantes , nec aliquem ex suis subditis à vestigiis ejus declinare sinentes , aut saltem quod ei debitus honor tribuatur singulis præcipientes.

§. II.

Ordo S. Benedicti.

Hos inter supereminet , quantum lenta solent inter viburna cupresi, clarissimus Ordo S. Benedicti : Ordo ille qui per plura sæcula et super Romanam Sedem Beatissimi Pe-

tri, et super alias præcipuarum Ecclésiarum maximè in Hispaniis Tolestanæ, Hispalensis, Compostellanæ, Cathedras Episcopales, Filios suos cum ingenti gloriâ sedentes admiratus est. Nemo certè mirabitur Ordinem hunc Summis laudibus Div. Thomam ejusque doctrinam extulisse, si semel illi in mentem venerit „divinum hunc Solem (verba sunt Scipionis Placentini) (1) qui latissimè patentes Campos Prædicatorum Familiæ ubi proiectior est factus immenso lumine complevit, sui exortūs raddiis Cassinensem Montem illustrasse.

Congregatio igitur Cassinensis, et suo in alumnum quondam amore, et in communem nunc Magistrum reverentiâ, prima statutum edidit, quo ipsius doctrinam tam in Philosophia, quam in Theologiâ suos iussit amplecti.

(1) In elog. Abbat. Cassinens. Abb. 56, 109

At vero Gallicana Congregatio
 S. Mauri in Capitulo Generali ann.
 1654. in Statuto illo , quod inscribi-
 tur = *Regulæ pro Lectoribus , et*
Scholaribus Monachis Congregationis
S. Mauri = hæc habet : "Lectores
 Sacræ Theologiæ erga Div. Thom.
 sint ita affecti ut ejus doctrinam ma-
 ximi faciant , et quoad fieri potest,
 sequantur vel benignè interpretentur."

Congregatio autem Hispana nul-
 lis præceptorum stimulis agitata,
 sed avitâ consuetudine , et rei utili-
 tate perspectâ , sicut virorum illus-
 trium fecunditate , Doctorumque
 insignium multitudine nulli est se-
 cunda , sic in tenendâ doctrinâ Div.
 Thomæ omnibus antecellit , et nul-
 lis istius Sacri Ordinis professor in-
 venitur , qui non inter præcipuas
 laudes reponat , quæ ex tanti Doc-
 toris veneranda religiosâque sequelâ
 procedit.

§. III.

Ordo Prædicatorum.

Hunc proximè sequitur Sacer Prædicatorum Ordo qui Div. Thomam tanquam charissimum Filium enutritus primùm, postmodum ut colendissimum Parentem ac Magistrum veneratus est. Hic ergo ann. 1279. qui quartus erat à Div. Thomæ morte Parisiis in Capitulo Generali hæc ordinavit : “cum venerabilis vir memoriæ recolendæ Frater Thomas de Aquino, suâ conversatione laudabili, et scriptis suis multò honoraverit Ordinem, nec sit aliqualiter tolerandum, quod de ipso, vel scriptis suis aliquid irreverenter, vel indecenter Fratres loquantur, et aliter sentiant, injungimus Prioribus Provincialibus, et Conventualibus, ac eorum Vicariis, et Visitatoribus ut, si quos invenerint excedere in præ-

dictis , eos punire acriter non postponant.”

Anno 1313. in Capitulo Generali Metis celebrato Ordinatione octavâ statuitur : “Quod nullus ad Studium Parisiense mittatur , nisi in doctrinâ Fratris Thomæ saltem tribus annis studuerit diligenter.”

Item in Capitulo Generali apud Cistericum anno 1329. habito , sexto post ejusdem S. Doctoris Canonizationem , hæc habentur Ordinatione secunda : “Cum doctrina S. Thomæ toti Mundo sit utilis , et Ordini honorabilis , volumus , et ordinamus quod omnes studentes in dictâ doctrinâ studeant diligenter : Lectores autem et Cursores ipsam doctrinam in suis lectionibus et disputationibus pertractent , et conclusiones ejusdem Doctoris finaliter teneant. Quicunque autem contrarium inventus fuerit attentasse , per Piores Provin-

ciales , vel eorum Vicarios privetur
Officio Lectoris.”

Item in Capitulo apud Carcaso-
nam ann. 1342. sic fuit ordinatum:
“Cum præclarissima Doctoris Ang.
S. Thomæ Aquinatis doctrina in to-
to orbe terrarum tamquam lux So-
lis eluceat , et ut firmissima ac so-
lidissima doctrinarum omnium à Se-
de Apostolica , et à principalibus Ec-
clesiæ Doctoribus , cum testimonio
Episcopi ac Universitatis Parisiensis
honorifice approbata fuerit , et divi-
nis laudibus ornata : imponimus
Lectoribus et studentibus , ut spre-
tis et postpositis yanis et curiosis , ac
frivolis doctrinis , quarum plurimæ
à veritate abducunt , ejusdem S. Doc-
toris doctrinæ omnino dent operam,
et assiduè studeant.”

Postremo in Constitutionibus ejus-
dem Ordinis Dist. 2. cap. 14. Text. I.
litt. C. hæc leguntur : “Districte in-

jungimus Lectoribus omnibus, et Sub-
lectoribus , ut præstantissimam nos-
tri Ang. Præcept. S. Thomæ doctri-
nam semper legant , discant , et do-
ceant , et juxta eam omnia quæsita
et disputata determinent , ac defi-
niant , suosque Discipulos erudiant,
et faciant ut studentes in eam toto
animi impetu diligenter incumbant.
Est enim excellentissima hæc doctrina,
sana præ cæteris , culta à doctioribus
viris , Ordini nostro utilis , salutaris
Universæ Ecclesiæ , et toti terrarum
Orbi admirabilis , ac denique Chris-
ti Salvatoris nostri judicio compro-
bata . . . Strictè prohibentes ne Fra-
tres legendo , determinando , respon-
dendo , asserere audeant ex propriâ
sententiâ oppositum ejus , quod com-
muni omnium judicio creditur assér-
tum à S. Præceptore.

Hinc in consequentibus generali-
bus Capitulis usque ad Romanum

ann. 1756. sub Reverendissimo Pa-
tre Fratre Joanne Thomâ , tum Ma-
gistro Generali, postmodum Cardina-
li de Boxadors , eadem doctrina se-
quenda præcipitur , atque in hoc
postremo ita habetur : “ illud præci-
puo studio commendamus , graviter-
que præcipimus , ut omnes Ordinis
alumni Summâ Religione teneant,
ac sectentur sanctissimam ac tutissi-
mam S. Thomæ Aquinatis doctrinam,
jam dudum tot Romanorum Pontifi-
cum , novissimèque Benedicti XIV.
Pontificis Maximi illustribus laudi-
bus , Universæque Ecclesiæ consen-
sione probatam , firmatam , et com-
mendatam : si qui vero ita degeneres
ab Ordine Prædicatorum se præbue-
rint , ut novorum placitorum cupidi
solida Ang. Præceptoris dogmata de-
seruerint , omnibus pœnis hactenus la-
tis totiesque confirmatis eos re ipsa sub-
jicimus , subjectosque esse volumus.”

Tanto studio , tamque singulari
curâ hic sacer Ordo adlaboravit , ne
minima rimula discolis patefieret,
qua veritatis spiritus in S. Thomæ
scriptis exacte custoditus , erroribus
subintrantibus evaderet.

§. IV.

*Ordo Regalis ac Militaris B. Mariae
de Mercede.*

Matrem Filia sequitur : sicut enim
Dominicanæ familiæ alumnum S. vi.
delicet Raymundum de Pennafort
SS. Patris sui Petri Nolasco in sui
institutione coadjutorem habuit , ita
et amorem Filiale erga Ang. Præ-
cept. doctrinam ad modum latis ebi-
bit. Vix enim ab incunabulis egress-
sa magnum illum Doctorem habuit
R. P. F. Hieronymum Perez , qui in
1. part. Div. Thom. scripsit ann.
1548. librumque S. Francisco de Bor-
gia tunc Gandiae Duci dicavit , post-

modum ejusdem et Consiliarius et Doctor fuit, rogatus namque à tanto viro et ipsum Theologiam Div. Thomæ docuit, et primus etiam ejus Facultatis Lector ab eodem datus est Patribus Societatis Jesu, qui eosdem in doctrina D. Thomæ informaret (1). Post hunc surrexit RAYMUNDUS ZUMEL, qui et Generalis ejusdem Ordinis, et Decanus Universitatis Salmantinæ, Div. Thom. Summam egregiis Commentariis illustravit. Unde in Compendio Constitutionum hujus Regii Ordinis, verb. *Doctrina* tit. 6, hæc apposita sunt: "ad assequendos Religionis gradus legi debet doctrina S. Thomæ prout explicatur à nostro Reverendissimo Patre Mag. Zumel. Ita præcipitur in virtute obedientiæ, et statuitur à tribus continuis Generalibus Capit.

(1) Ita Rivadeney. in vit. S. Francisci Borg. lib. I. cap. 18. et Nieremberg. in vita ejusd. lib. I. cap. 31.

tulis: "ac si diceret vim habet Constitutionis.

In capit. etiam Murciæ habitō ann. 1612. inter alia hæc ordinantur: "Præcipitur Lectoribus nostri Ordinis quod nullus possit legere , vel docere in Sacrâ Theologiâ nisi tantummodo in omnibus sequendo doctrinam Ang. Præcep. S. Thomæ , et prout ejus Expositores scripserunt , et juxta mentem Reverendissimi P. bonæ memoriæ Fr. Francisci Zumel: in his vero quæ à prælaudato Mag. tradita ac explicata non fuerint, omnino doctrinam D. Thomæ teneant ac interpretentur juxta sensum Auctorum , Expositorumque Dominicariorum.

Postremo in novissimis constitutionibus à SS. D. N. Innocentio XII. confirmatis distinct. 6. cap. 4. n. 5. hæc habentur: Universis Lectoribus enixe præcipimus "ut juxta antiqua

„Ordinis Decreta sæpius in Capitulis
 „Generalibus iterata , semper in om-
 „nibus , et per omnia Doctrinam D.
 „Thomæ secundum sensum et expo-
 „sitionem Thomistarum ita doceant,
 „ut si in aliquo ab ea recesserint , ip-
 „so facto Provincialis eos lectura
 „destituat.

§. V.

Ordo Seraphici S. Francisci.

Nobilissimus hic ordo Seraphicus,
 quem Prædicatorum Ordini parem
 Divina providentia ut efficeret , tot
 in ea luminaria posuit , quot in illo
 resplendent, tot infulas concessit, quot
 ille se habere gloriatur , præter cœ-
 lestem illum Bonaventuram , Docto-
 rem Joannem Duns Scotum D. Thomæ
 ferè supparem habere meruit. Sed
 quamvis illius Magisterio gaudeat,
 ejusque vestigia mordicus teneat,
 tantam tamen reverentiam Angelico

Doctori , ejusque sententiis deferre
voluit , ut in Cap. Generalissimo Ro-
mæ die 27 Maii ann. 1641. habito,
hoc Decretum in §. 3. n. 4. illius ta-
bulæ affigi jusserit : “ Præcipimus
,,omnibus Fratribus nostri Ordinis sub
,,pœna privationis Officiorum , et aliis
,,infligendis arbitrio Superiorum , ne
,,deinceps in controversiis Scholasti-
,,cis verbo , aut scripto taxent minus
,,reverenter notis , censuris , et exag-
,,gerationibus opiniones Angelicæ
,,Scholæ.”

Hinc est quod Scriptores qui que
Patres Minores Doctrinam D. Tho-
mæ miris laudibus efferunt , prout
in Cathalogo Virorum illustrium , qui
eam egregie commendarunt , notum
fiet.

§. VI.

Religio S. Augustini.

Si Magistri amor suavissime , fa-
cillimeque rapit in dilectionem Dis-
1 ij

cipuli , nemini mirum videri debet,
 quod præclarissimus hic Ordo , qui
 Magisterio SS. Patris sui Augustini
 gloriatur , D. Thomam impensis co-
 lat obsequiis , quem et Summorum
 Pontificum Oraculis , et lectione suo-
 rum operum , fidelissimum Augusti-
 ni Interpretem pariter ac Discipulum
 recognoscit : Ea propter Congrega-
 tio S. Salvatoris Lateranensis in suis
Constitutionibus p. 2. cap. 11. de lit.
 stud. ad sequendam doctrinam D.
 Thomæ tali lege subditos omnes obs-
 trinxit : " Porro Lectores certam me-
 " thodum in legendo observent : im-
 " primis in Sacra Theologia viam
 " D. Thomæ sequendam præcipimus,
 " quæ cæteris Scholasticorum viis,
 " Ordine Doctrinæ , facilitate , inte-
 " gritate , et soliditate , merito præ-
 " ferri debet" : Et ibidem : " Si am-
 " bo Theologi ex nostris haberi non
 " poterunt , saltem alter sit ex nos-

„tris , alter vero ex Ordine D. Dominici , vel ex alio , qui viam D. Thomæ sequatur , quam in nostris Scholis sequendam fore mandamus.”

¶ Gallicana Congregatio hoc idem statuit : “Capitulum Generale , inquit , Canonicorum Regularium S. Augustini Congregationis Galliae congregatum in Abbatia S. Genovefæ Parisiis Mense Septembri ann. 1650. statuit , ut in Scholis Theologiæ dictæ Congregationis legatur S. Thomæ doctrina pura.”

Nec dissimile illud est quod Religiosi Augustiniani Eremitæ in suis constitutionibus part. 5. cap. 2. de Officio et auctorit. Mag. Regentis præscriptum habent : “ut autem uniformitas quoad doctrinam , quemadmodum quoad alia , in Ordine nostro custodiatur , volumus ut Magistri Regentes in lectionibus et determina-

„tionibus disputationum sequi, et
 „tueri debeant sanam, et Catholi-
 „cam Doctrinam fundatissimi Doc-
 „toris B. Egidii Romani quondam
 „nostrí Sacri Ordinis Generalis. Ubi
 „ejus scripta non reperiuntur, ex
 „D. Thomæ Aquinatis doctrina sup-
 „pleatur.” R. ~~antidotum~~

Egidium porrò istum Generalem
 Mag. ipsius Ordinis primum, post-
 modum Archiepiscopum Bituricen-
 sem, ac tandem R. E. Cardinalem.
 Discipulum, Auditorem, Amanuen-
 semque D. Thomæ, ejus doctrinæ
 Sectatorem, et adversus eam calum-
 niantes propugnatorem acerrimum
 extitisse, nullus est, qui nesciat, si
 tantummodo litterariam historiam, vel
 à limine, ut ajunt, salutaverit.

§. VII.

*Religio Minimorum Sancti Francisci
de Paula.*

Religiosi nuncupatione humili Minimi , doctrina et litteris revera Maximi firmiter à suo Exordio D. Thomæ adhæserunt. Unde in Cap. Generali Barcinone celebrato ann. 1661. die 29. Maii sic habetur Sess. ult. n. 48. "Et in primis statuerunt „(PP. Capituli) Lectores nostri Ordinis veridicam et securam Doctoris „Angelici D. Thomæ doctrinam se- „qui debere , quos studio quo pos- „sunt majori exhortantur , eisque „imperant , ut ab Scopo tanti Doc- „toris numquam discedant."

§. VIII.

Carmelitarum Excalceatorum Ordo.

Si Sanctissima Virgo Theresia non parvum animæ suæ profectum , ut
i iv

ipsamet fatetur , ex doctrina Discipulorum D. Thomæ accepit , quid mirum , quod filios suos ad tanti Magistri sectanda vestigia peramanter hortaretur ? Hinc est quod in dicti Ordinis Constitutionibus hæc ordinata reperiuntur : “ad hoc munus „(Lectoris) personæ virtutibus , et „litteris idoneæ assumantur , qui ope- „ram dabunt Sacram Doctrinam à SS. „Patribus , præcipue à D. Thoma tra- „ditam , edocere , idemque Lectores „artium observent , sin minus officio „Lectorum priventur ; studeantque „subtiliores quæstiones , quæ neque „utilitatem , neque ædificationem affe- „runt , aliasque periculosas difficulta- „tes à nostra Religione arcere.”

Hujus autem tam saluberrimi statuti , à quo ne latum quidem unguem ullus quispiam recessit , quadantes nus rationem assignant Auctores operis Theologici dicti Collegium Sal-

manticense tom. I. in. I. p. orat. ex-
 hort. per hæc verba : "ad cœlestem
 „Hierusalem majores nostri nos per
 „constantem D. Thomæ ducere doctri-
 „nam prudentissime sanxerunt , non
 „quia nobis non suppeterent Illustris-
 „simi et Sapientissimi Doctores , non
 „quia inter plures alios insignes Theo-
 „logos , et Scriptores non haberemus
 „viginti quinque Expositores Mag.
 „sententiarum quos refert Possevinus;
 „sed quia Pastores nostri meliora caris-
 „mata æmulantes , non qualicumque
 „quamvis domestico et bono , sed
 „optimo doctrinæ lacte , et pane non
 „alieno , sed communi , non huma-
 „no sed Angelico eos alere et nutri-
 „re optarunt. In Angelico Mag. vo-
 „luerunt defigere totum suæ mentis
 „obtutum , ab illo sapientiæ fonte
 „sumere sitibundi pectoris haustum,
 „illam etiam sapientiam quærere de-
 „creverunt , illam doctrinam totis vi-

„ribus ardenter amplecti , ex qua va-
„lerent sapere , vivere , ac per eam
„sine fine gaudere.”

Nihil amplius ex hujusmodi Or-
dinis decretis depromimus , quidquid
enim ab illis scriptum est , neque ve-
ro ea pauca sunt , satis superque in-
dicant , quid de Angelicæ doctrinæ
sublimitate , ac securitate sentiant.

At vero in Constitutionibus Car-
melitanæ Observantiæ ab Urbano VIII.
et Innocentio X. confirmatis sequela
doctrinæ D. Thomæ præscribitur , nam
1. p. de Studiis cap. 21. n. 15. ita
habetur : “ Mane unus Lector , alter
„à prandio legat , ita ut intra trien-
„nium tota D. Thomæ Summa per-
„legatur: ” et n. 17. “ Lectores Theo-
„logiæ quoad spectat ad D. Thomam
„quantum in ipsis erit , illius doctri-
„nam amplectantur , cum interpre-
„tatione DD. Ordinis nostri.

§. IX.

Societas Jesu.

Neque vero Societatis Jesu de D. Thomæ doctrina judicium reticendum erit : licet enim deficiens , ut sumus defecerit , et Vaticano fulmine dissipata fuerit , hoc clarus , et augustius D. Thomæ testimonium est. Quandiu enim ejus doctrinæ adhæserunt , et Ecclesiæ utiles , et Regibus profici , et Populis chari erant: At vero quo passu ab illius sanâ recesserunt Disciplinâ , Zizania triticum oppreserunt , nec amplius in horreum Domini triticum purgatum valuerunt inferre, sed paleis similes ventilabro Domini sparsi in area sunt.

Hæc igitur doctrinam D. Thomæ ita à suis exordiis amplexata est , ut primus illius Parens S. Ignatius nullam aliam tenuisse deprehendatur. Ita habetur ex processu Canoniza-

tionis ejusdem pag. 13. ubi hæc leguntur verba : "Sanam et Catholiconcam Doctrinam semper docuit , et retinuit , novas opiniones haud unquam admisit , et in Theologia Scholastica Doctoris Angelici doctrinam sequutus est."

Parum tamen sibi videbatur , si solus S. Ignatius doctrinam illam sequeretur: omnes itaque suos filios ejusdem S. Doctoris Sectatores esse voluit, hinc in 4. p. constit. cap. 14. §. 1. ait: "In Theologia legatur Vetus, et Novum Testamentum , et doctrina Scholastica D. Thomæ :" Unde quinta Congregatio generalis in suis Decretis can. 41. hæc statuit : "sequantur nostri DD. in Scholastica Theologia Doctrinam D. Thomæ , neque deinceps ad Cathedras Theologicas promoveantur nisi qui D. Thomæ doctrinæ bene affecti fuerint ; qui vero ejusdem Auctoris parum studiosi, vel

„etiam ab eo alieni sunt , à docendi
„munere repellantur.

Et Can. 56. ejusdem Congrega-
tionis : " Nostri omnino S. Thomam
„ut proprium Doct. habeant , eum-
„que in Scholastica Theologia se-
„qui teneantur. Tum quia Constitu-
„tiones eum nobis commendant (ubi
„supr.) et Summus Pontifex Cle-
„mens VIII. id se cupere significavit.
„Tum quia cum unius Scriptoris doc-
„trinam in Societate eligendam Cons-
„titutiones moneant p. 8. cap. 1. lit.
„K. nullius hoc tempore doctrina po-
„test occurtere , quæ sit ea solidior,
„aut securior , ut non immerito S.
„Thomas Theologorum Princeps ab
omnibus habeatur."

O ! Utinam in hoc securo litore
Societas ista constitisset , ibique tu-
mentes fluctus suos confregisset , non
utique cum ejulatu magno dicere-
tur , quomodo obscuratum est aurum,

mutatus est color optimus! (1).

§. X.

Ordo S. Hieronymi.

Observantissima S. Hieronymi Religio non minus ac prædictæ erga doctrinam Angelici Præceptoris affectionatam , devotamque se præbuit , ac præbet. Unde in 53. Constitutione in extravagantibus notationibus , et motionibus in Cap. Generali ann. 1510. factis , illa habetur , “ Ordinamus , et „præcipimus , quod in Collegiis , et „Studiis totius Religionis legatur ac „teneatur doctrina S. Thomæ , et „non alia.” Item ann. 1603. istud additur : “ Ordinamus , et præcipimus , quod cum doctrina D. Thomæ gloriosi magno in pretio sit habita , et ab Ecclesia suscepta , in nostris Collegiis totius Ordinis , in Conclusionibus , et Disputationibus ,

(1) Tren. 4. v. 1.

„quæ habeantur , semper ejus doctrina , et teneatur , et sequenda proponatur , tum in Artibus , tum in „Theologia , et PP. Lectores nec legant , nec conclusionibus subscribant , nisi conformiter ad illam sub poena clausuræ per unum annum:
 „Quod si hæc non sufficerit Reverendissimus P. N. Generalis severioribus poenis adversus delinquentes procedat : Et injungimus , præcipimusque R. P. Priori S. Laurentii Regalis , ut in suo Monasterio hæc à Lectoribus servari curet.”

Serenissimus quoque Hispaniarum Rex Philippus Secundus in Constitutionibus quas Collegio Escurialensi S. Laurentii præscripsit, tit. 3. de Studiis , lectionibus &c. cap. 1. hæc præcepit : “Statuimus , et ordinamus , quod lectiones quas PP. Lectores legerint , sint ex doctrina et Summa S. Thomæ , et quod perfectè ejus lit-

„teratn auditoribus exponant , si-
„mulque commentum Cajetani.

Quam alte hæc salubris ordinatio
animis Clientum hujus Religionis in-
fixa fuerit , testatur , et verbis , et
operibus Doctissimus ille Fr. Petrus
de Cabrera , qui in tom. 10. in 3. ad
Candidum Lectorem hæc aurea ver-
ba profert . “ Unus solus D. Thomas
„est mihi Magister propositus :: Aliis
„vero Theologis , ut tanti Magistri
„Discipulis , et sectatoribus utor,
„illisque adhæreo , quibus tantum et
„ego assentio , quantum et ipsi in
„Theologiæ negotio à Summo Theo-
„logo , et eximio Theologorum Ma-
„gistro D. Thoma non dissentunt:
„Novas vero Theologias domi denuo
„natas in hoc opere non adduco , ta-
„les enim nusquam didici , neque
„discere volo. Omnes antiquæ sem-
„per mihi sanctæ fuerunt , ac vene-
„randæ , novæ suspectæ , et fugien-

„dæ: Innovatione periculosius nihil
 „unquam extitit , quod innumeræ
 „Respublicæ deletæ funditus et su-
 „blatæ testantur.”

§. XI.

Ordo Præmonstratensium.

Pervetusta Canonicorum Præmons-
 tratensium Religio , ut vicem redde-
 ret illius quondam devotionis qua
 B. P. Dominicus Ordinis Prædicato-
 rum Institutor ex primitivis ejus ob-
 servantiis quasdam arctiores rigidio-
 resque pro suis filiis mutuavit ad
 bene vivendum accomodatas , doctri-
 nam D. Thomæ , qua ipsi ad recte
 docendum instituerentur , peraman-
 ter susceperunt. Hinc in pluribus
 Capitulis , maxime vero in celebratis
 ann. 1727. et 30. quorum acta ser-
 vantur in archivio Monasterii S. Ma-
 riæ (vulgo *Retuerta*) filios suos mo-
 net hortaturque ut Doctrinam Ange-

lici Doctoris D. Thomæ fideliter sequantur , ac teneant , insuper præcipit “ut Universitates adeundo, tantum Magistros Cathedraticosque Ordinis S. Dominici , et non alios audiant , quo purius Doctrinam prædictam ebibant , et accuratius legitimum sensum percipient.”

Eos hæc omnia cumulate præstissete , testatur ingens Studium , quo nostris etiam temporibus D. Thomæ adhærent , et doctrinam ejus ubique diffundi curant , operâ Reverendissimi illius omni laude majoris P. Fr. Ildephonsi Apodaca , viri et ingenio singulari , et erga D. Thomam propensa devotione omnibus litteratis maxime vero Salmantinis DD. apprime noti.

§. XII.

Religio Clericorum Minorum.

Religio hæc quæ in Hispania , Ita-

liaque propagata mirificos virtutis litterarumque fructus incessanter protulit , D. Thomam in omnibus Ducem sequitur , atque ut ab omnibus hujusmodi institutum professis ita fiat , districtè præcipit : sic enim habet in Constitut. p. 1. cap. 32. n. 3. " Quæ „doctrina in his tradendis scientiis „prælegetur , ea sit , quæ securitate „ac soliditate præstet :: In Theologia D. Thomas ut Dux eligendus , „eique summo studio inhærendum :" et cap. 33. n. 2. " Cæterum Theologæ Lector nemo constituatur , qui „erga D. Thomæ doctrinam bene „affectus non fuerit ."

§. XIII.

*Religio Clericorum Regularium , qui
Theatini dicuntur.*

Stricte suis Filiis Religio hæc honorabilis et frequenter præcipit , ut doctrinam D. Thomæ in omnibus

secentur , maxime vero in ordinatione cap. 2. n. 5. ubi dicitur: "quod
"omnes sequantur et ordinem D.
"Thomæ , et ejus doctrinam , prout
"illis possibile erit." Certe metas
non præscribit , qui usque ad pos-
sibilitatis terminos abire jubet.

Hæc fere eadem habet in 2. p.
Decretor. fol. 35. n. 14. ubi dicitur:
"Tractatus omnes morales non simul
"ultimo anno , sed promiscue cum
"speculativis explicitur , non re-
"cedendo , quoad fieri potest , ab
"ordine in Summa à D. Thoma ob-
"servato."

§. XIV.

*Religio Clericorum fidelibus in extremo
agone luctantibus ministrantium.*

Quo major est in extremo agone
pugna, eo difficilius absque perito duce
triumphus de malignis spiritibus repor-
tatur. Cum vero Religio hæc ad sub-

sidium hujusmodi luctantium ex sua
 institutione destinetur , eam doctri-
 nam seligere curavit , quæ et lar-
 vas Dæmonum detegere , et veritate
 ac certitudine principiorum in emer-
 gentibus plerumque repentinis casi-
 bus fidelium conscientias reddere se-
 curas posset. Hinc ad D. Thomam
 confugit , doctrinam ejus ab omni-
 bus teneri præcepit , et si quando ali-
 quos tantisper ab ea deflectere cog-
 novit , protinus illos corrigere cura-
 vit. Unde in Actis Consultationis ge-
 neralis habitæ die 7. Aprilis ann.
 1723. hoc Decretum invenitur: "Cum
 „nobis exploratum sit aliquem ex
 „nostris in Hispania à Scholis ex
 „doctrina Angelici Præceptoris dis-
 „cessum moliri : Nos , quibus cordi
 „est , ea quæ ad Studiorum incre-
 „mentum , et felicitatem pertinent
 „pro viribus adimplere , illamque
 „doctrinam illic addisci , et doceri ,

„quam nostri tum Colegiales , tum
 „Lectores è solis D. Thomæ fonti-
 „bus hactenus ebiberunt , his , aliis-
 „que gravissimis causis permoti , et
 „ne quis sub quovis prætextu audeat
 „contra Priscorum consuetudinem
 „ibi adhuc vigentem , alio divertere;
 „omnibus et singulis ex nostris Phi-
 „losophiæ et Theologiæ operam na-
 „vantibus , præsentibus , et futuris
 „districte mandamus , etiam sub
 „formali præcepto S. Obedientiæ,
 „cujus violationis absolutionem soli
 „Reverendissimo P. nostro Generali
 „pro tempore reservamus , ut in pos-
 „terum ad prædictam dumtaxat doc-
 „trinam incumbant , ut sive in nos-
 „tris , sive in cujusque Universitatis
 „Scholis illam unice doceant , et ad-
 „discant , et defendant.” Hoc De-
 cretum à SS. P. Benedicto XIII.
 Sub dat. 21. Aprilis 1725. confir-
 matum legitur in Bullar. dicti Or-

„dinis Rom. 1770. pag. 33.

§. XV.

*Congregationes RR. PP. Oratorii
S. Philippi Nerii, et Oratorii Jesu in
Gallia.*

Si filius etiam inter homines non potest aliud facere , nisi quod vide rit Patrem facientem , & quonammodo de seligenda tuendaque doctrina D. Thomæ dubitarent , qui optime noverant , SS. Parentem Philippum Nerium inter innumerias solicitudines , quas Divinæ Charitatis ardore accensus in se susceperat , minime impediti , quin quotidie non minori assiduitate , quam reverentia Summam D. Thomæ perlegeret , isque ejus Doctor , et Casuista ordinarius in dubiis ac difficultatibus haberetur ? His permota exemplis congregatio illa altera in Gallia ad instar istius erecta ab Eminentissimo Cardinali Petro de Berulla in Statutis Congre-

gationis Generalis celebratæ Parisiis
 ann. 1675. Sess. 21. sic decrevit:
 "Renovando Statuta Congregationis
 „XI. Sess. 7. et XII. Sess. 8. Con-
 „gregatio decernit ut nostri Profes-
 „sores Theologiæ doceant doctrinam
 „S. Augustini , et S. Thomæ tan-
 „quam solidiorem, et magis univer-
 „saliter in Ecclesia receptam , et ut
 „in exponendo S. Thoma sint con-
 „formes alicui ex præcipuis ipsius
 „interpretibus , quales sunt Capreo-
 „lus , Estius , Silvius , Joannes à
 „S. Thoma , et Gonetus : Nostri
 „quoque Professores Philosophiæ do-
 „cebunt doctrinam S. Thomæ , quan-
 „tum fieri poterit , prout explicatur
 „à præcipuis ejus commentatoribus,
 „ut Complutensibus , Joanne à S.
 „Thoma , et Philippo à SS. Trinitate.

§. XVI.

Congregatio Doctrinæ Christianæ.

Quanti hæc Sapientissima Congregationio D. Thomæ doctrinam fecerit, quo cordis ardore propagare studuerit, nedum ex suis statutis de secunda Angelica Doctrina, sed multo amplius intelligi potest ex commissione à Capitulo Generali data P. Camblat ut Theologiam ederet juxta mentem Angelici Doctoris, cuius mentionem ipse facit in Præfatione his verbis : "Jussus á venerabili nostro Capitulo Generali in publicum dare opus ad Theologiam Angelicam, quia omnium sanctissimam, tutissimamque, commode, simul et rite addiscendam appositum, &c."

Nec obscurius studii hujus Congregationis erga S. Thomam argumentum est opus illud vere aureum, Moralis videlicet Christiana R. P.

Jacobi Besombes, quæ recte compendium totius Moralis D. Thomæ appellari potest. Sed quid mirum ita Besombem scripsisse, si insatiabili desiderio propagandi doctrinam hanc exæstuans, ante oculos Provinciæ, cui præerat, juniores Regentes in Theologia quandoque instruebat in Collegio Tolosano, *ut in Domino gaudeam* (ajebat), *si aliquos D. Thomæ Discipulos efformare valeam?* Ita refert R. P. Touron qui et ipsi familiaritate conjunctus erat. (In vita D. Thomæ lib. 5. cap. XI. in fine.)

§. XVII.

Congregatio Pauperum Matris Dei Scholarum piarum.

Div. Thomam impense colere, ejus doctrinam summis laudibus efferre, eique tenaciter adhærere omnes omnino hujus Congregationis subditos, si quis forte dubitaverit, Scholas in-


grediatur , tacitus audiat , et forte tertio quoque verbo Thomas sonabit , elogiisque doctrinæ ejus aures circumquaque adstantium tinnient . Hæc sive Theologiam Dogmaticam , sive Scholasticam , sive Asceticam , sive Moralem , sive denique Philosophiam doceat Clericos , ac Sacerdotes , juxta germanam mentem S. Thomæ id præstat ; cuius doctrinâ nihil secundum Deum prius et antiquius habent , atque in ejus verba jurare solent . Hujus felicis necessitatis sectandi D. Thomæ doctrinam mentionem fecit R. P. Nicolaus Maria à S. Dominico , Romæ in Scholis Piis S. Pantaleonis Sacrae Theologiæ Professoris ann. 1720. Oratione habita in funere Reverendissimi P. Fr. Antonini Cloche totius Ordinis Prædicatorum Magistri Generalis , ubi inter alia hæc interset . " Grata semper in Lycea nostra redibit aureæ illius

„ diei recordatio , qua ad Angelici
 „ Præceptoris Cathedram provoluti,
 „ invictam ejusdem doctrinam sequi,
 „ et ne hilum quidem ab ea deflec-
 „ tere perpetuo jussi sumus. Hinc
 „ Horatianum illud præceptum soli-
 „ dioribus longe studiis accomodatum,
 „ auditoribus suis nostrates jure me-
 „ rito repetunt atque inculcant ::: *Vos*
 „ *exemplaria Thomæ nocturna versate*
 „ *manu , versate diurna.* (*Ita Grav-*
 son. Histor. Ecclesiasticæ tom. VIII.
 p. 931.)

Quin et in Capitulo generali ann.
 1677. habito hæc statuerunt : “ Cen-
 suerunt Patres , et unanimi con-
 sensu decreverunt omnibus Reli-
 gionis nostræ Lectoribus ac Ma-
 gistris , ex illibato Angelici Doc-
 toris fonte Theologicam esse hau-
 riendam doctrinam , et in audito-
 rum animos esse infundendam . ”

In Cap. item generali habito ann.

1692. istud legitur : " Per communem omnium acclamationem nostris tum Philosophiae , tum Theologiae Lectoribus iterum omnino mandatur , ut illibatam servantes Angelici Doctoris in suis Thesibus Sententiam , eam maximè docere teneantur circa Physicam præmissionem , et efficaciam gratiæ prædeterminantis sub poenis arbitrio Provincialium subeundis , quorum vigilantiæ seriò rem hujusmodi servandam Congregatio generalis commendat.



CAPUT VII.

Theologorum , Juris utriusque Peritorum , Philosophorumque de D. Thoma judicium.

Si (ut vulgo ajunt) figulus figulo, fabro faber invidet alter, nihil mirum videri posset, quod D. Thomas

aliquos pateretur obtrectatores , ma-
ximè cum , ut ait S. Hieronymus , *sint
edentuli , qui vescentium dentibus in-
vident , et talpæ , quæ Caprearum ocu-
los contemnunt* , sed hi oleum , et
operam perdent , neque enim à Div.
Thomæ obitu , viri pietate insignes ,
scientia præstantes , sano judicio pol-
lentes , omniisque eruditione ornatissi-
mi defuerunt , qui vice versa illius
Doctrinam summis laudibus extule-
runt , dignisque celebrarunt enco-
miis. Horum accuratum texere Catha-
logum si quis voluerit , tempus inu-
tiliter teret , nec plutei amplissimi
capere possent , quæ scribenda fo-
rent volumina. Nos aliquod dunta-
xat referemus , illud præcipue ca-
ventes , ut quoad fieri posset , Do-
minicanorum elogia silentio præter-
mittantur , ne tanquam domesticæ
illorum laudes flocci habeantur. Ni-
hilominus , qui et sanctitate vitæ , et

præstantia doctrinæ id apud omnes promeruerunt , ut à partium studio quam longissimè alieni credantur, minime rejiciendi sunt. Nec me latet , quod alicui forsan supervacaneum videri possit , quod post tot oracula à Cœlitibus , Universali Ecclesia , Sede Romana , Conciliisque emanata , post acceptationem Academiarum , Religionumque , particularium Doctorum de D. Thomæ doctrina sententiæ in medium proferantur. Sed is mirari desinet , si serio animadvertisat , hoc ita factum esse, ut monstretur D. Thomæ opera non illam infaustam , et inauspicatam sortem habuisse , quæ contigit multorum auctorum operibus , quæ cum primum prodierunt in lucem , legi avidius cœperunt , et magno cum orbis plausu fuerunt excepta , sed cum postea studiosorum manibus terri , et expendi incœperunt , confestim

exciderunt ab eorum æstimatione , et tacito quodam omnium eruditorum sensu ad minora subselia , atque etiam ad angulos rejecta sunt. Istam , inquam , infaustam sortem D. Thomæ opera non habuerunt , nec formidant ; nam posterioribus sæculis Doctores Catholici omnes non minus , quin et amplius , quam prioribus temporibus doctrinam D. Thomæ venerati sunt , ex ejus libris eruditionem hausisse confessi sunt , illum ut Universalem Magistrum deprædicarunt , et parem prisci nostræ Religionis Heroybus nedum sua sponte , sed merito fecerunt. Quod ex eorum verbis in sequenti Cathalogo per seriem sæculorum descripto appositis , liquido patebit.

§. I.

Sæculum XIII.

Primum inter omnes locum obtinere debet S. Albertus cognomento Magnus qui D. Thomæ quondam Magister , postmodum colendissimus factus adseptator , postquam illud protulit profeticum elogium de D. Thoma , dum adhuc in Scholis degeret , inquiens , *bos iste mutus aliquando mugitum talem edet , quod tintinnant omnes orbis aures , mugitus nomine doctrinam ejus intelligens , ita ex corde adhæsit ejus scriptis , quod voluerit omnia sibi perlegi per certum ordinem.* Cum autem è vivis sublato Angelico Doctore , quidam in Schola Parisiensi adversus ejus doctrinam impudenter insurgerent , re ad S. Albertum delata , protinus è Colonia Parisios venit , et facta convocatione Studii Generalis Pari-

S. Albertus
Magnus.

siensis :::: dixit : *Quod ipse paratus erat in examine Peritorum defendere scripta Fr. Thomæ tanquam veritate fulgentia et sanctitate* (1).

S. Raymundus de Pennafort.

Tanti doctrinam ejus fecit S. Raymundus de Pennafort, ut cum Mauros Saracenosque in Hispania tunc degentes ad fidem Christi pertrahere desideraret, D. Thomæ auctor fuerit, ut Summam contra Gentiles componeret, nec desiderium ejus fraudatum est: non enim minori fructu, laudeque in Hispania floruit adversus infideles, ac in aliis Christianis Regnis adversus hæreticos tanti Doctoris Scientia claruerat (2).

Dominicus Gratia de Brixia Ord. Benedicti.

Dominicus de Brixia Ordinis S. Benedicti in processu Canonizationis S. Thomæ cap. 7. ait : "Ego vidi, "et Deus mihi revelavit, quod B. Augustinus et Fr. Thomas sub

(1) Ita Boland. tom. 6. p. 714. n. 82.

(2) Thouron lib. 2. vit. D. Thomæ pag. 156.

„eodem jugo erant ambulantes in
„gloria Paradisi” : En pari passu,
æque firmo pede , et Doctorum
Aquila , et Doctor Angelicus pro-
cedunt , terram linguæ calamique
ferro scindentes , Divinaque doctri-
næ semina in Ecclesiæ amplissi-
mum Campum mittentes.

Jacobus de Viterbio Ord. Ere-
mit. S.Augustini, Archiepiscopus Nea-
politanus citatus in processu Cano-
nizationis S. Thomæ cap. 9. ait: “Ego
„credo in fide et Spiritu Sancto,
„quod Salvator noster Doctorem ve-
„ritatis pro illuminatione orbis et
„Universalis Ecclesiæ miserit Pau-
„lum Apostolum , et postea Au-
„gustum , et novissimo tempore
„Fr. Thomam , cui usque ad finem
„sæculi non credo alium succesu-
„rum” : Hinc testis alias in eodem
processu depositus , quod cum qua-
dam die coram eodem Archiepisco-

Jacobus de
Viterbio.

po de Viris Scientibus , et Scientia aliquorum tractaretur , dixit Archiepiscopus “ quod nulli sibi atribuant , „ vel adscribant in Sacra Scientia ali- „ quid plene scire , nisi qui sequuntur „ et inhærent scientiæ et scriptis Fr. „ Thomæ de Aquino , qui viam ape- „ ruit intelligentibus ad sciendum (1).

Ludovicus
Rex Galliæ.

Ita S. Ludovicus IX. de D. Thomæ sententiis confidebat , ut si quando magni momenti res aliqua in ejus Supremo Senatu disceptanda erat , S. Doctorem certiores fieri curabat pridie illius Sessionis , nec aliter die sequenti decernebat , quam à D. Thoma audierat (2).

Tholomeus
Lucensis.

Hoc eodem tempore Tholomeus ille Lucensis floruit , D. Thomæ per plures annos auditor , qui cum in processu Canonizationis , ut testis adhibitus fuisset , ac de D. Thomæ

(1) Apud Boland. tom. 6. p. 688.

(2) Boland. tom. 6. p. 671.

doctrina interrogatus , hoc compendio dedit elogium: *Frater Thomas arca fuit Philosophiae ac Theologiae* (1).

Eruditissimus Archiepiscopus Vi- ^{Ægidius Ro-}
turicensis Ægidius Romanus , cuius
scientiæ non altius afferri potest tes-
timonium , quam quod à Patribus
Eremitis S. Augustini , cuius quon-
dam institutum amplexus fuerat,
ejus doctrina datis ad hoc decretis
in suismet Constitutionibus insertis
sequenda præcipitur , in libro illo,
quem pro defensione doctrinæ D.
Thomæ , cum nondum Canonizatus
esset , composuit , hæc à suis adver-
sariis cum Sancto Job cap. 6. inter-
rogat : *quare detraxistis Sermonibus*
veritatis , cum è vobis nullus sit , qui
possit arguere me? et subdit : “*quæs-*
„*tio proposita optime in persona Fr.*
„*Thomæ Doctoris eximii , cuius doc-*
„*trina fulget Ecclesia , potest pro-*
L iiij

(1) Boland. ubi supra. ~~enotisq. n. l.~~ (1)

„poni quibusdam , qui ejus doctrinam , imo veritatem quam docuit , depravare nituntur , ipsius sermonibus veritate plenis , et spiritu veritatis instigante conscriptis detrahentes (1).” Quid amplius , quid Divinius de D. Thoma necdum in Sanctorum Cathalogum adscripto dici potuit?

§. II.

Sæculum XIV.

In hoc sæculo fere nulla suppetunt testimonia in scriptis redacta , quibus doctrina D. Thomæ proclamata fuerit , illud tamen reticere minime possumus , quod tantam sibi auctoritatem in suo Ordine comparaverat , ut qui post ipsum sententias Parisiis , Oxonii , Cantabrigiæ , Bononiæ , Romæ , Neapoli , Coloniæ Agripinæ legerunt , ejus commentariis fere ute-

(1) In præfatione ad Corrector , corruptor.

rentur , ea stilo suo , suaque scriben-
di ratione solum imitantes (1).

Universitas Parisiensis tota fac-
tionibus disecabatur occasione quo-
rundam Philosophorum , qui se in
materias Theologicas ingerebant:
cumque eorum Theses ab Universi-
tate Parisiensi damnatae fuissent , non-
nulli occasione nacta D. Thomæ
doctrinam impugnarunt , ipsamque
sententiâ illâ involutam plenis buc-
cis conclamabant , sed laqueum pa-
raverunt , et inciderunt in eum : Au-
diens enim Stephanus Parisiensis
Episcopus , quod de doctrinâ D. Tho-
mæ disceptabatur , ne in Sole quis-
quam maculas se adinvenisse glo-
riaretur , decretum illud edidit quod
supra retulimus (2).

Sapientissimus æque ac Doctissi-

L iv

(1) Echard. tom. I. Scrip. Ordinis Prædicato-
rum p. 435.

(2) Cap. 5.

mus, qui hoc sæculo floruit, Joan-
Gerson. nes Gerson, Cancelarius Parisiensis,
non minus ægre tulit desertionem ali-
quorum à Doctrina D. Thomæ, cum
hac de re conqueritur, simulque
de D. Thoma hoc cedro dignum
protulit testimonium (1). "Non suf-
"ficio admirari qualiter PP. et Fra-
"tres quidam (sileo nomen Religionis
"consulendum in ipso Auctore) di-
"misso tanto Doct. (S. videlicet
"Thoma) qualem nescio si unquam
"in Studio Parisiensi habuerint, con-
"vertunt se ad nescio quos novellos
"pro quibus parati sunt pedibus, et
"manibus decertare" : Qui caracte-
rem, indolemque hujus egregii vi-
ri Gersonis noverit, sciet profecto,
quod, quantumque sit hoc ex ejus
ore prolatum elogium.

(1) In 4. p. in lect. incipiente *pœnitenti*,
considerat. I.

§. III.

Sæculum XV.

Sæculum XV. auspicari lubet auc-
toritate S. Antonini Archiepiscopi S. Antoninus
Florentini, quæ etiam rigidissimis Archiepisco-
quibusque censoribus minimè sus-
pecta erit, si in sanctitatem viri, et
scientiam oculos injecerint. Quamvis
tamen in ejus operibus sparsim re-
periantur plurima D. Thomæ elogia,
ab illis tamen recensendis superse-
dendum puto, ne Lectoribus stoma-
chum faciam, unumque tantum hic
proferam: ait enim: (1) *Beatus Tho-*
más de Aquino Summus Doctor in Theo-
logia, cùjus doctrina sufficiens esset
ad plenam instructionem Ecclesiæ con-
tra omnes errores.

Hunc sequitur Besarion Archie-
piscopus Nicenus, Patriarcha Cons-
tantinopolitanus, et S. R. E. Cardi-
(1) 3. p. hist. tit. 23. cap. 2. §. 3. Besarion Car-
dinalis.

nalis , unus ex Patribus Concilii Florentini , qui pro unione Græcorum maxime adlaboravit , cui etiam propter eminentem scientiam laus illa tribuitur , quod ejus auspiciis litteræ reflorescere inceperint : Hic ergo ait (1) : *Thomas Aquinas non minus inter Sanctos Doctissimus , quam inter Doctos Sanctissimos.* Qui etiam tanti opera S. Doctoris fecit , ut post Concilium Florentinum in Græcum idiomâ perplura D. Thomæ opera transferre curaverit , ut ex manuscriptis ejus , quæ adhuc Venetiis asservantur , videre licet (2).

Besarionem suscipit Georgius Scholarius Patriarcha item Constanti-

Scholarius nopolitanus , qui in sua consecratio-
Patriarcha ne dictus est Genadius , hic post
Constantino polit.

multos exantlatos labores in Conci-
lio Florentino pro Græcorum unio-

(2) Lib. 2. in Calumniat. Plat. cap. 7.

(3) Ita Thœuron. vit. D. Thomæ pag. 545.

ne , videns Schismaticorum pertinaciam Dignitati valedixit , ac in Monasterium secessit. In libro quem conscripsit super opusculum D. Thomæ de *ente et essentia* , secundum interpretationem Michaelis Sophiani , hæc ait : “Thomam Aquinatem „nescio an aliquis suorum Sectatorum admiretur plusquam ego , et „colat , ego si quis ejus scriptis animum „adhibuerit , hunc nullis aliis indigere opinor Musis , satisque esse „sua recte percipere posse (1).

Non æquali pietatis affectu permotus erat Nilus Archipræsul Thesalonicensis Scholario suppar , Schismaticus enim , et impugnator acerrimus fuit Primatûs Romani , nihilominus hoc de D. Thoma occinuit: *Thomas Latinæ Theologiæ facile Principes* (2).

Nilus Ar-
chiepiscopus
Thesalonicensis.

(1) Ita Michael Sophianus in dicto opusculo.

(2) Sophianus ibi.

Quid de D. Thomæ doctrina senserit Thomas Fedrus Lateranensis Canonicus (1) qui Romæ præcepta eloquentiæ tradens , Cicero sui temporis communiter appellabatur , egregie declaravit, dum in Panegirico de D.Thoma sermonem instituens “*eo in dialecticis acutiores, in mathematicis subtiles, in Philosophia locupletiores, in Theologia denique sublimiores, neminem se leguisse testatur.*”

Joannes Picus de la Mirandula.

Nemini non nota est eruditionis, et sapientiæ fama , quam sibi inter Doctos comparavit Joannes Picus de la Mirandula : hic ergo tanti D. Thomam fecit , ut in heptaplo eum dixerit : *Nostræ Theologiæ splendorem.* In litteris vero datis ad Fr. Paulum Gentili Dominicanum hæc ait : “*abs te impensissime peto , ut quas in Joannis Capreoli opus elucubrations perfecisti , ad me mittas , nam*

(1) Fedrus in Panegir.

„D. Thomæ doctrinæ plurimum afficiar, sedulus commentaryum ejus cultor, atque ob id quoscumque amplector, qui doctrinam ipsius à calumnia vindicant (1).

§. II.

Sæculum XVI.

Dum sæculi decimiseptimi Scriptores indigitare incipimus, qui doctrinam D. Thomæ laudibus celebrarunt, illud in primis monendum duximus, nos rationem temporum, sive annorum quibus floruerunt minime servaturos, ne confusio magna orietur, si calculus adamusim servetur. Quapropter illud statuimus, quod commodius et ab omni disputatione remotius credidimus, videlicet eos omnes qui Sæculo XVI. vixerunt Ordine alphabetico collocandos: sic igitur primo loco occurrit:

(1) Ita Echard. tom. I. p. 882.

Alanus Copo, Alanus Copo S. R. E. Cardinalis
Cardinalis.

in opere illo numquam satis laudato
quod inscribitur: *Dialogi sex editi con-*
tra Summi Pontificatus Oppugnatores,
Dialogo 5. cap. 9. hæc ait: "Div. cer-
tè Thomam singularem in omni pæ-
nè disciplinarum genere , et in Theo-
logia virum planè divinum , omnes
verè et solidè docti venerantur."

Ambrosius - Huic Ambrosius Catherinus unus
Cathe. , Ar-
chiepie. Com- ex PP. Concilii Tridentini , atque in
psanus.

illo consessu spectatissimus , succe-
dit , qui licet ex Ordine Prædicato-
rum assumptus fuerit , nullus tamen
illum aut Thomistam , aut alterius
Scholæ sectatorem pronunciavit , ni-
hilominus de Div. Thomâ sermonem
instituens libro 1. adversus Luthe-
rum , dolo V. ait: "pro ejus (*Div.*
Thomæ) scientiâ ego frequenter illud
usurpare soleo: *ille sciat se valde pro-*
fecisse , cui Thomas valdè placebit."

P. Annatus. Congregationis doctrinæ Chris-

tianæ Præfectoris Generalis Pater Annatus cum Commentariorum D. Thomæ in lib. Sententiarum mentionem faceret apparatu methodico lib. 4. pag. 500. ait: "Hos quatuor Petri Lombardi Libros ob varias ferè insuperabiles difficultates omnibus aliis antea Doctoribus obscuros et invios ita Parisiis dilucidavit, et explicuit olim S. Thomas vigesimum duntaxat percurrentis ætatis annum (1), isto in eos edito commentario, ut stupuerit hoc audiens et videns alma Parisiensis Facultas Sacra."

Venerabilis Frater Bartholomeus de Espina Pisanus in præfatione secunda secundæ Div. Thom. impressionis Romanæ jussu Pii V. ait: "Veluti Sol Thomas Aquinas emicuit, Charitatis fervore, Sapientiæ-

Bartholo-
meus de Es-
pina.

(1) Anacronismum quemdam passus est hic auctor in assignanda ætate Div. Thom.

que splendore maximo Ecclesiam Dei
fovet et illustrat."

Contarenus, Doctissimus Cardinalis Gaspar
Cardinalis. Contarenus Venetus Pauli III. in
Germaniâ Legatus, vir profundi in-
genii ac in Philosophia et Theologiâ,
de quibus scripsit, apprimè versatus
in Libro I. de elementis hæc ait:
"Hanc Avicenæ positionem Div.
Thomas excellentissimus, et num-
quam satis laudatus efficaci ratione
reprehendit."

Cajetanus, Quid de Div. Thomâ Cardinalis
Cardinalis. Thomas de Vio Cajetanus senserit,
nemini dubium erit, si semel ejus
commentarios quos in Summam fe-
cit, attentè perlegerit, unde in ejus
encomiis referendis nihil immorabor;
unum tantum proferam ex 2.^a 2.^a
quæst. 184. art. 4. ubi ait: "summè
veneratus est Div. Thom. Sacros DD.
ideo intellectum omnium quodam-
modo sortitus est."

Eruditissimum Melchioris Cani
 judicium , quantum apud Sapien-
 tes pondus habeat , nullus ignorat:
 vir enim acutissimus , ingenio subti-
 li præditus , strictioris criticæ tenax
 omnibus audit : Quid ergo de Div.
 Thomâ prodiderit videamus : neque
 vero singulas laudes , sunt enim
 prope innumeræ , quibus Ang. Præ-
 ceptorem in opere , quod *de Locis
 Theologicis* inscribitur , prosequutus
 est , referemus , sed eas tantummo-
 do , quæ celebriores et habentur , et
 sunt : Atque ut id quantocius explea-
 mus , à cap. 3. lib. 12. exordiendum
 est : ibi enim postquam Doctorem
 Angelicum , diligentissimum absolu-
 tissimumque Theologum appellavit ,
 hæc è vestigio subdidit : "Et quidem
 Div. Thomas 1. part. quæst. 1. art.
 8. ad 2. restrictè breviterque ut solet
 Theologiæ locos indicavit , quin etiam
 ut homo minimè ingratus illi me de-

dam, cui me tantopere debo, et
hujus officii servitutem adstringam
testimonio sempiterno: Div. Thomas
mihi et author et Magister fuit hujus
operis componendi, sed ille locorum
naturam explicit pressè et angustè,
ac suo demum modo: non enim di-
latat argumentum, sed quasi punc-
tis, quod proponit efficit." Quibus
quidem verbis sapientissimus, idem-
que politissimus Doctor Div. Tho-
mam egregii operis de Locis Theo-
logicis, quod nec hominum iræ nec
ignes :: nec poterit ferrum, nec
edax abolere vetustas... Div. Tho-
mam inquam hujus operis compo-
nendi sibi Magistrum et authorem
exitisse apud omnes venturas ætates
in sempiternum grati animi monu-
mentum testatum voluit. Paulloque
inferius ut cæteros Theologos repre-
hendit, quod non admodum compo-
sitè et ordinatè disputationes Theo-

logiæ distinxerunt : sic Div. Thomam eximiis laudibus celebrat , quod id omne exactè accuratèque præstiterit : his autem sese explicat : “ Div. Thomam semper excipio , apud quem mirabilis est contextus rerum ; Summus quæstionum et articulorum Ordo , et compositio disciplinæ incredibilis . Adeo respondent extrema primis , media utrisque , omnia omnibus : nam de argumentorum copiâ è quid attinet dicere ? cum de infinitis propè quæstionibus in utramque partem disserendi tanta illi facilitas et abundantia fuerit , ut non contra omnia semper , sicut Archesilas , disputerit , et tamen ut in omnibus , quidquid ex utrâque parte dici posset , expresserit . ” Ejusdemque libri cap. 12. cum sui ævi Theologorum disputationem totam jejunam atque aridam esse asseruisset , eamque quæ vix unius fontis , ejusque vulgaris ac triti aquâ communi et peregrina ri-

getur, hæc de Div. Thomâ subjunctum : "Quanto Div. Thomas copiosior et nervosior est, qui non solum aut rationi, aut authoritati confidit, sed omni modo argumentatur, et accuratè ex omni loco disserit, testimoniisque simul ac rationibus conqueritis disputat. At obscura quædam in Thomæ lucubrationibus sunt, istorum vero lucubrationes sunt lucidæ, sanè quidem, non tamen ab illo ita dicuntur de industria, nec in ingenio inest, sed in rebus ipsis obscuritas." Atque his quidem postremis verbis vides eruditissimum Theologum, quorundam vaniloquorum rudes atque imperitos sermones refutasse, qui Div. Thomam vel hoc solum nomine contemnendum arbitrantur, quod doctrinas densâ caligine circunfusas persæpè tradit: non enim *in ingenio inest, sed in rebus ipsis obscuritas*: quamquam non

tam multa obscurè Thomas docet quām illi putant : nam quod quædam non intelligent , ipsorum potius hebetudini tribuendum est : scio enim obscuritatem voluminum quandoque fieri ex legentis duritiâ , id quod non minus verè , quam sapienter à Doctore Maximo Hieronymo traditum accepimus.

Sed ne ex eodem Doctore in eamdem rem alia atque alia testimonia afferam , instar omnium sit quod ejusdem capit is sub finem extat : " Cum vero in omnium artium usu , inquit egregius Theologus , optimorum imitatione artificum valeat plurimum , exempla in Theologiâ disserendi ab iis peti æquum est , qui in hac arte excelluerunt , quorum Augustinus et Thomas sunt facile Principes ; Augustinus citra aleam , Thomas iudicio peritorum . " Paucisque interjectis sibi istorum sciolorum argumenta

sic objicit : "Aridum quoque illi fuit disputandi genus , et quæstionum tractatus unâ perpetuo specie compositus : in ea denique fuit authorum sectâ , quæ adeo nullum florēm orationis sequitur , ut apparentibus sine carne nervis deforme videatur disputationis corpus , certè ab omni eloquentiæ ornatu alienum : ita à doctissimo ac gravissimo viro curiosi quidam homines et delicatuli longioris operis sacietate , fastidio similitudinis , incultæque dictionis horrore abalienantur."

Paullo vero inferius , postquam hæc cedro linienda verba , *itaque præclarum à Div. Thomâ accepimus morem disputandi , si eum teneremus , edidit ; continuo sese totum convertit ad ejusmodi malevolorum hominum argumenta , si tamen illa argumenta appellanda sunt , quibus nihil omnino roboris inest , refutan-*

da: quod quidem his gravissimis atque elegantissimis verbis ita cumulatè præsttit, ut nihil ultra desiderari posse videatur. "Nemo, ait, à viro gravissimo orationis delicias quærat, pigmenta muliebria, fucum puerilem, sed veras gravesque sententias, argumenta solida, et propria, sermonem rei de quâ disseritur, accommodatum: quæ omnia Div. Thomas adeo cumulatè præsttit, ut si vitia in eo pauca sint, quæ ab istis invidiosè commemorantur, plurimis tamen maximisque virtutibus illa compenset. Quamquam ut erat et modestus, et prudens, minutissimum articulorum numerum, legemque disputationis æquabilem, tūm rudioribus, tūm magis suo illi saeculo dedit: equidem non Div. Thomam modo, sed scholæ authores quosdam alios existimo, si humaniores litteras coluissent, et quæ in

schola didicerant eloqui voluissent,
 ornatissimè splendidèque potuisse
 facere" hucusque Canus. Nunc ve-
 ro vos , quicumque hæc legitis per
 Deum immortalem , perque verita-
 tis studium , quo et ipse incendor,
 et vos omnes incensos cupio , oro
 obtestorque , ne de S. Thomâ judi-
 cium ferre velitis priusquam hæc
 eruditissimi Cani verba vestris cum
 animis attentè serioque cogitaveritis:
Canus asserit S. Thomam veras gra-
 vesque sententias tradere , argumen-
 ta solidâ et propria semper adduce-
 re , sermoneque uti rei de quâ disse-
 ritur accommodato : Hæretici vero,
 nonnullique ejusdem furfuris , genus
 disputandi Div. Thomæ aridum , to-
 tamque orationem horridam atque
 incultam esse blatterant. Fuit vero
Canus sapientissimus , itemque li-
 matissimus author : isti vero valdè
 tumentes , sed ferè nihil scientes:

è cui ergo fidendum est? cui credendum? Sed injuriam facio disertissimo viro , qui eum comparem cum his nebulonibus rudibus planè atque ad extremum imperitis , hisque qui Div. Thomæ opera ne primoribus fortè labris attigerunt , vel si attigerunt , non intellexerunt , nam si intellexissent , nequaquam improbas- sent : jactitant ingratum esse sibi Div. Thomæ sermonem , totumque barbarum: at Ludovico Vives , aliis- que latinissimis scriptoribus , quorum æmulari exopto negligentiam potius , quàm illorum obscuram dili- gentiam , non displicet , quin potius rei de quâ disseritur , videtur , quàm- maximè accommodatus. Potuissest pro- fecto Div. Thomas , si libuisset , or- natissimo splendidissimoque dicendi genere uti ; neque id ullus , nisi pla- nè stupidus sit , sensuque communi destitutus inficiabitur ; perlegit enim

sæpissimè Ciceronem , Sallustium, Cæsarem , Livium , aliosque aurei sæculi Scriptores , cum eorum authoritatibus suis in scriptis passim utatur ; sed tamen maluit suo sæculo sese accommodare atque ita scribere , ut ab iis qui sua scripta legerent , non intelligeretur modo, sed etiam non posset non intelligi : Quod si aliter scripsisset , pauci admodum forent , quibus prodesse potuisset , pauci admodum , qui ejus sensa optimasque doctrinas pernovissent , jureque ac merito in illum dici posset , quod de obscurissimo quodam scriptore à nobilissimo Poeta Scævolâ jactatum est.

Quid juvat obscuris involvere sensa latebris?

Ne pateant animi sensa , tacere potest.

Dominicus
Bañez.

Canum proximè sequitur Dominicus Bañez de Republicâ litteraria

etiam optimè meritus , cujus nōmēn usque hodiè per sapientum ora volitat , qui in prologo Commentariorum super 2. m 2. æ Div. Thomæ ait : “unus Div. Thomas inter omnes Scholasticos , quidquid ad justitiam attinens Theologo cognoscendum erat , suis numeris absolutum dedit .”

Spirituum Doctor et Magister S. Sanctus Franciscus de Sales in Div. Thomæ les.

doctrinâ versatissimus hoc in quadam Epistolâ de Div. Thomâ protulit testimonium : “Div. Thomas Doctor est major qui unquam fuerit.” (1).

Non solum Theologi , sed Jurisperiti , summique Politici Div. Thomæ laudes concinnarunt , ut potest qui omnium Magister jure habitus et creditus sit : hoc evincitur ex illustri testimonio celeberrimi viri Franciscus Bargas.

(1) Ita refertur à Pizcinardi lib. 2. de approb. Doct. Div. Thom. quæst. 2. art. 3.

cisci de Bargas , qui Legationes à Carolo V. et Philippo II. sibi commissas feliciter obivit : hic ergo in tractatu quem edidit de jurisdictione Papæ et Episcoporum confirmat.

7. ait : "Quod facilius consequémur, si Div. Thomam quasi fortissimum quendam Herculem in omnibus id genus difficultatibus superandis adhibeamus : is enim ut in omnibus aliis , ita in his , quæ ad Moralis Philosophiæ cognitionem pertinent, adeo semper fuit diligens explorator veritatis , ut nihil abditum , nihil remotum , nihil obscurum esse permiserit , sed omnia exposita , prompta, ipsâ denique luce clariora omnia fecerit : huic uni in Sapientiæ studiis plus debedo , quam infinitis Juris peritorum verbosis commentariis: nude breviterque veritatem exponit , et omissa inani Authorum, opinionumque citatione , solidâ vi incedit , rationi-

busque invictis per omnes adversitates viam sibi aliisque sternens :::

Div. Thomas non Physicis magis, et Theologis, quām Jurisperitis est necessarius, qui si eum legissent, intellexissentque, Deus bone! quantum ignorantiae, quantumque turpis erroris è libris suis atque animis eximere potuissent. "Audiant quid viriste in utroque jure peritissimus de Div. Thomā senserit, et erubescant Scioli, qui Div. Thomam existimant subtilitatibus Sholasticis, ac Peripatetismi fœditatibus scatere.

Præter accuratissimos Commentarios in Summam Div. Thomæ contra Gentiles quos Ferrariensis edidit, quibus passim doctrinam Ang. Doctoris laudibus effert, in Epistolâ ad Clementem VII. hæc aurea verba profert: "Tam acutè de naturâ, tam diligenter de moribus, tam sapienter de rebus divinis Diu-

mas disseruit , ut si ejus libros , qui ferè innumeri sunt , Familiares habéas , nihil sit ultra quod scire desideres.”

Hosius Car-

dinalis.

Hic adjungere lubet Cardinalis Hosii testimonium in Confessione cap. 37. prolatum : “Afferemus , inquit , quos Theologiæ Scholasticæ Principes fuisse constat :: ac primo loco eum qui in primis celebris habetur , Thomam Aquinatem collocabimus.”

Henricus
Henriquez So-
ciet. Jesu.

Sapiens Doctor Henricus Henriquez Societatis Jesu pluribus in locis Ang. Præceptorem laudat. In tomo i. cap. i. Summæ Theologiæ Moralis ait : “ut nihil temere et supervacuè docet D. Thomas in Summâ , ita nihil est in eâ quod requiri aut desiderari queat : sic miro compendio cuncta comprehendit , non tantum Theologiæ propria , verum et aliarum Facultatum huic subministrantium , ut nobis Latinis piâ emu-

Iatione invidens Demetrius Græcus, in suorum, id est Græcorum Thesauros transtulit magnam Summæ B. Thom. partem, simul cum Summa quam edidit contra Gentes. "Idem de Pontificis Clave Libro 41. cap. 15. num. 4. et 5." Div. Thomas, inquit, diligenter ac reverenter consuluit Patrum Libros, et ex his, quæ sparsim variis in locis tradunt, confecit Universalem Summam, ordine Doctrinæ dispositam: ille ergo plurimum de Theologia se meritum esse putet, qui benemeritus sit de Div. Thomæ doctrina, quam et PP. dum in Conciliis disputant, et Censores Fidei in suis consultationibus, et Prædicatores in suis concionibus reverenter suscipiunt."

Doctor in Theologiâ insignis unusque ex PP. Tridentinæ Sinodi fuit Hieronymus Vielmius, Episcopus Argolicensis.

Div. Thom. judicium , tūm ex his quæ suprā cap. 4. retulimus , inferri potest , tūm ex Opusculo , quod publicam lucem videre fecit de Div. Thomæ Aquinatis doctrinâ , et scriptis adversus Lutheranos et Novatores , ita ut nihil jam de ejus mente dubitandum sit ; unde Lectores ad prædictos mittimus locos.

Joannes Fischer
Cardinalis.

Cancellarius Universitatis Cantabrigensis ac Henrici VIII. Angliæ Regis Preceptor Joannes Fischer S. R. E. Cardinalis unus fuit ex insignioribus suæ ætatis Controversistis. Hic ergo adversus Lutherum agens in confutatione Libri de Captiv. Babylonica ait : " Nec Thomas Aquinas usque adeo tibi , Luthere , parvipendus est , quem plerique in Sacris litteris exercitatissimi , Theologiæ florem appellare consueverunt."

Ludovicus Molina
Societas Jesu.

Quamquam Ludovicus Molina Systematis cuiusdam parum consoni , at-

que à Div. Thomæ doctrina alieni
author fuerit , quo insigniorum DD.
sui ævi ingenia torsit , et si ita loqui
fas est , detruncavit : nihilominus ita
de Div. Thomæ doctrinâ sentiebat,
ut nullatenus eum sibi vellet adver-
sarum habere : Hinc in primitiva
concordiâ præfatione ad Lectorem,
se Div. Thom. in omnibus sequutu-
rum promittit his verbis : "Cum in
1. partem Div. Thomæ quem veluti
Scholasticæ Theologiæ Solem ac
Principem sequi decernimus , &c."
et in 1. part. Epistolæ ad Philip-
pum II. Hispaniarum Regem sic lo-
quitur : "Pulcherrimum illud Domi-
nicanæ Familiae , atque adeo Rei-
publicæ Christianæ Astrum conges-
sit in Theologicam Summam quid-
quid studio quæsิตum , ingenio elab-
oratum , industriâ perfectum , Re-
ligione sanctum , bonis mortalibus
usui futurum videretur."
N

Mapheus So-~~lusi~~ Plurimis aequivalet testimoniiis
ciet. Jesu.

quod P. Mapheus Societatis Jesu di-
ligentissimus Scriptor non proprio
nomine, sed ex verbis vitâque sui Pa-
tris S. Ignatii de Loyola protulit:
nam in Libro 1. vitæ ejus cap. 9.
recenset et affirmat ex Bullâ II. Pau-
li III. quod S. Ignatius Parisiis sub
Dominicanorum PP. disciplina Theo-
logiæ operam dedit, et Doct. Ang.
doctrinam edoctus fuit. Idem item in
opere de Potestate Pontificiâ pag. 6.
cap. 4. addit: "In Consistorio Se-
creto Gregorii XV. Cardinalem Fran-
ciscum Mariam à Monte in relatio-
ne de ejus miraculis testatum esse S.
Ignatium novas opiniones haud qua-
quam admisisse, et in Theologiâ
Scholasticâ doctrinam Ang. Docto-
ris sequutum fuisse. Quin et cum
Martinus Olaus, qui Div. Ignatio
vivente, Collegio Romano præside-
bat, Theses proposuisset, in quibus

erat quoddam caput adversus Dominicanorum sententiam , eam *Thesim*, quamquam ingemiscente Olao , tolli omnino imperavit Ignatius. "En his verbis et Fundatoris Societatis Jesu de Div. Thomæ doctrina judicium , et quanti momenti sit pro Canonizazione Sanctorum eam fidelissimè in omnibus tenuisse.

Patrem sequutus Filius Petrus Fonseca tom. i. Metaphysicæ admo-

Petrus Fonseca Societas Jesu.

nitione ad Lectorem hæc habet:
 "Quod si è totâ Philosophorum et Theologorum Schola unus à nobis Div. Thomas in hoc opere præcipuè colitur , non immerito id factum judicabit , qui præclarum Sanctissimi viri ingenium , præstantissimum judicium, ab omni perverso affectu liberum animum , lectionis magnitudinem et varietatem cum summo veritatis inveniendæ studio conjunctam animo perpenderit."

Sixtus Senensis cuius opera magnis.

Sixtus Senensis cuius opera magna promeruerunt laudem etiam apud ipsos Protestantes , ut asserit Continuator Abb. Fleuri ad annum 1569. dum de Div. Thomâ loquetur in Bibliothecâ Sanctâ lib. 4. pag. 328. ait : " Brevitati , quæ obscuritatis mater est , et comes individua, ita facilitatem omni seclusâ difficultate copulavit , ut ordinis dispositio- ne , sententiarum perspicuitate , verborum splendidâ claritate , Scriptores omnes longo post se intervallo reliquerit :: quatuor in se implacabili- ter pugnantia indissolubili pacis fœ- dere conjunxit , brevitatem , copiam, claritatem , et securitatem , quæ nul- li unquam litterarum Professori vel ante eum , vel post cum contigit connectere."

Titelmanus
ex Ordine Mi-
norum.

Insignis Episcopus Titelmanus ex Ordine Minorum suis ex operibus apprimè notus in exposit. Psalmi 109.

vocat S. Thomam "doctorem celeberrimum , omniscium , adamantem Theologorum , eorumque coripheum , Alpha litterarum omnium , veritatis unicum artificem , et architectum , omnis litteraturæ delicias , primum , medium , et novissimum sapientum."

Celeberrimus Cardinalis Toletus Toletus Car-
dinalis.
tam alte de Div. Thomâ sentiebat,
ut hæc asserere non dubitaverit:
"pace aliorum DD. dixerim *Div.*
Thomas instar est omnium." Sic ha-
betur apud Pizcinardi tom. 1. de ap-
probatione doctrinæ *Div. Thomæ.*

§. V.

Sæculum XVII.

Eamdem tenentes methodum de Aguirre, Car-
alphabeticò ordine quam supra pro dictius.
sæculo XVI. constituimus , auspicari
lubet in hujus sæculi Scriptoribus
enumerandis, qui *Div. Thom.* laudi-
bus prosequuti sunt à viro reipsa lau-
n iij

de dignissimo, Hispaniae nostrae de-
core Eminentissimo Josepho Sainz
Cardinali de Aguirre, qui absolutis-
simum opus Conciliorum Hispaniae
ordinavit, ac in tom. 3. prologo 2.
hæc habet: "mirâ illa Angelicæ
mentis claritate obscura quæque ex-
posuit Div. Thomas, et abstrusos
PP. præsertim Augustini sensus lu-
ce donavit, quod experientiâ didici,
nec dubium quin alii: contigit in
controversiis inspectâ solâ S. Aug.
litterâ mentem obrui fluctibus diffi-
cultatum, nec apparere viam ad
emergendum: totam vero procellam
sedari, et occurrere portum, ubi
intente quæritur, et tandem inveni-
tur, quid Ang. Doctor tradiderit:
ipse enim miti ac suavissimo inter-
pretationis genere Div. Augustinum
exponit."

Aloysius Ju-
glaris Societ.
Jesu. In elogiis quæ compositi Aloysius
Juglaris part. 2. Inscriptione II. hoc

de Div. Thomâ profert : "En tibi omnem in uno demum capite Bibliothecam , en omnem in uno calamo militantis Ecclesiæ Panopliam."

Exactissimus Annalium Cisterciensium author Angelus Manrique, Episcopus Pacensis tom. 1. ann. 1535.

§. 6. n. 10. ait : "Magnus ille totius Ecclesiæ Sol , doctrinâ pariter et puritate vitæ Angelus , et Angelicus Doctor S. Thomas."

Adrianus Baillet in opere quod Baillet inscribitur. *Les jugemens de Scavans sur les principaux ouvrages des Auteurs.* tom. 1. pag. 110. ait: "nullus est inter Catholicos criticos usque nunc , qui S. Thomæ auctor fuerit abdicare qualitatem Doctoris Angelici , et qui ex singularibus servitiis per ejus opera Theologica Ecclesiæ Dei redditis non agnoscat , justè apud omnes haberi ut Angelum, Antesignanum , Primumque Doctor-

rem Scholæ Theologicæ.

Basilius Pontius , Au-
 gustinianus. Thomæ fuit Basilius Pontius Augus-
 tinianus , qui in opere quod com-
 posuit et inscripsit *de tuendo juramen-*
to Salmantino , tot encomia doctrinæ
 Ang. Præceptoris inseruit , quot ver-
 ba scripsit , unum tamen vel alterum
 proferemus , num. 90. ait : “facile
 colligitur S. Thomam esse veluti vices-
 gerentem antiquorum PP. et illus-
 trium Scholasticorum , ejusque libros
 his , qui Theologiæ student , tan-
 quam facem prælucere debere , quia
 continent Summam totius doctrinæ,
 insignium Theologorum qui eum præ-
 cesserunt” Idem num. 136. inquit:
 “possunt mediante hoc juramento
 de tenendâ ac docenda SS. Aug. et
 Thomæ doctrinâ ab Academiâ Sal-
 manticensi emiso , multa peccata
 Judices et Magistratus Populi , ad
 quos pertinet prohibere quæcumque

bono regimini obsunt , et quæcumque peccata grayia , quæ sine dubio illis imputantur , qui ea non impediunt cum possint , et debeant , suaviter impedire : hâc enim via eliminantur ex Hispaniâ omnes opiniones contra Div. Thomam , ex quibus prædicti abusus exoriuntur : et si Salmanticæ , ubi est Fons Theologiæ totius Regni , legantur doctrinæ , et defendantur sententiæ Doct. Ang. relictis aliis ipsi oppositis , sensim istæ Magistro et authore qui eas doceat , destituentur : cum autem omnes doctrinam S. Thom. amplexi fuerint , nullus eas actiones excusabit , quæ ex opinionibus Div. Thomæ oppositis justitiæ speciem accipiunt . „ Quid præstantius , urgentiusve dicere poterat , si hisce nostris temporibus Pontius viveret , aut quod remedium ad virulentam tabem , quæ animos hoc nostro sæculo corrodit , expellendam

efficacius ipse præbere posset?

Bollandus So^m ciet. Jesu. Præter innumera quæ Bollandus de Div. Thomâ profert testimonia in actis Sanctorum ad diem 7. Martii, de extensione Ang. doctrinæ loquens in vitâ S. Thom. cap. 4. ait: "nulla Scripturæ veritas remansit sibi abscondita, nec Doctoris cujuscumque scriptura inaccessible aut involuta."

Cornelius à Lapide. Notissimus ob interpretationem

sacrorum Librorum Cornelius à Lapide cum expositionem Ezequielis suscepisset, cap. 10. vers. 14. hæc de Div. Thomâ habet: "Bos hic mutus brevi edet vocem, quam totus exaudiat Orbis: Ita factum, cum scilicet Bos hic laborando, docendo, scribendo, versus in gloriosum Cherub Ang. Doctoris nomen acceperit: Hunc sequere, ô Christiane, ô Religiose, ô Doctor, ô Prædicator, et Angelus, immo Cherub et Seraph efficieris."

ni Éruditus inter DD. Theologos Didacus Alvarez, Archiepiscop. Thranensis Ord. Archiepiscopus Thranensis , cui æquè Prædicat. ac Thomæ de Lemus demandata fuit divinæ gratiæ defensio in celeberrimis Congregationibus de auxiliis. Hic ergo in tom. 1. Disputationum Theologicarum præfatione ad Lectorem ait : "tanta est S. Doctoris excellentia , et in explicandis difficultatibus Theologicis facilitas et ubertas , ut sicut in laudem Augustini dixit Volusianus , legi Dei deest , quidquid Augustinum contigerit ignorare , ita et in elogium S. Thomæ verissimè dici possit : *Theologiæ divinæ deest , quidquid Ang. Doctor non perlustravit* ; quidquid enim DD. omnes qui eum præcesserunt , et post illum nati sunt in Philosophicis et Theologicis quæstionibus posteris reliquerunt , unus S. Thomas miro Ordine , magna profunditate , claritate

et brevitate , quasi alter Joseph in proprio manipulo colligavit.”

Didacus Baeza in tom. 3. de Christo figurato lib. 6. cap. 2. §. 5. hæc habet :

“ Ne miremur quod Ang. Doctori pateant universa secreta Cœlorum , Angelus est Thomas in communi omnium sapientum acceptione: hoc putarim in Thomâ divinum quod unus Theologiæ lumina ab errorum tenebris distinxit , ut in sedes proprias, ordinemque præclarum compulerit.”

Franciscus Sapiens Minorita Franciscus à S. Macedo ordinis Sancti Augustino Macedo tale de Div. Thomæ Francisci.

profert testimonium in Concentu chronologico pro festo Div. Thomæ. “ Scientia Thomæ non habet discrimen temporum , perpetua est , Sol est , et facit diem sine nocte : ” Idem Disputatione Theologicâ de ritu azymi et fermentati cap. 8. “ Div. Thomæ omnino credendum est , propter summam , quæ in eo est authorita-

tem. Malo Div. Thomæ fidem affirmanti habere , quām aliis negantibus assentiri ; qui Theologiæ Sol est, qui luce abundat , allucinari non potest , in eo alii allucinari possunt, quorum oculi infirmi ac debiles tanti splendoris radiis perstringuntur.”

Eruditus Episcopus Ajacensis Fabianus Justinianus in Commentar. super Bibliam 1. part. lib. 1. cap. 16. hæc ait: “S. Thomas in Sacræ Scripturæ interpretatione adeo excelluit, ut omnes pænè sensus litterales et mysticos vestigiis PP. inhærens asse-
quutus fuisse videatur.”

In eloquentiâ christianâ nobilis- simè splenduit P. Franciscus Zucaroni Societatis Jesu , qui in Panegi- rico cui titulus , *quattro aspetti* ait: “ Angelicus Præceptor quatuor Ecclesiæ DD. quos facies quatuor Cherub signant , doctrinam solus ipse complectitur.”

Franciscus Palanc., Epis-
copus. Illustrissimus æquè ac doctissimus
Franciscus Palanco Episcopus Pana-
mensis in suo tractatu de *conscientia*
pag. 560. post assignatas rationes, quæ
nos ad sequendam D. Thomæ doc-
trinam impellere debent , subdit:
“Hæc et alia motiva authoritatem
doctrinæ Div. Thomæ ita commen-
dant , ut jure merito præferri debeat
cuilibet nostro naturali discursui , ita
ut apud ingenium docile pluris sit
unum Div. Thomæ testimonium,
quam in contrarium plura ratiocinia
propriæ mentis.”

Gregorius de Valentia So- Inter multos quos Societas Jesu
ciet. Jesu. filios peperit , qui Div. Thomæ ves-
tigiis inhærentes , eum laudibus pro-
sequuti sunt , eminet P. Gregorius de
Valentia , qui tom. 1. in Div. Thom.
præfatione ad Lectorem ait : “Div.
Thomam inter Scholasticos Theolo-
gos excellere adeo compertum est,
ut neque id Hæretici , quibus est in-

festissimus , diffiteri possint , neque
alio nomine alii Sectarii exossum ha-
bent, quām quod videant illum inter
reliquos Theologos præcipuā vi doc-
trinæ et authoritatis ipsorum erro-
ribus adversari."

Eodem planè modo sese explicat Gabriel Vaz-
quez Societ. Jesu, qui tom. I. in I. part. disputatione 3.
P. Gabriel Vazquez Societ. Jesu, qui tom. I. in I. part. disputatione 3.
cap. 4. num. 7. inquit , " verum enim
vero videns aliquos , qui , datâ ope-
râ , S. Thomæ doctrinam refellere
nituntur , et tum demum gloriosum
aliquid fecisse arbitrantur , cum ali-
quid contra ipsius sententiam , quam
Theologi merito suscipere vellent ,
pronunciaverint :: hi sanè non levi
reprehensione digni sunt , et eos ve-
ritatis cognoscendæ viam sibi ipsis
præcludere dubium non est .

Omnibus notum est exactissimum Henricus,
criterium , quō in discernendis au- Cardinalis de
Noris.
thoribus eorumque sententiis perpe-

tuo usus est Henricus Cardinalis de Noris Ordinis S. Augustini: hic ergo lib. 1. Historiæ Pelagianæ cap. 1. his paucissimis verbis summum elogium protulit: *Summus Theologorum Magister S. Thomas.*

S. Joannes Roffensis Cardinalis. Nec minus protulit elogium Div. Thomæ Sanctus Joannes Roffensis Cardinalis, et Martyr gloriosus, qui in proœmio lib. 4. contra Œcolampodium ait: "Thomas Aquinas, vir item sanctissimus, qui tum propter notitiam Scripturarum, in quibus mirabiliter exercuit se, tum propter innumeros in Sacra Theologia nodos ab eo dissectos, merito Theologiæ flos appellatur."

Joannes Barolajus. Nendum proprio testimonio, sed et alterius fortè præclarioris Joannes Barolajus Div. Thomam laudibus prosequutus est, dum in sua Parænesi lib. 1. pag. 139. cum Jacobo Cujacio Angelicum Doctorem nendum

primum Theologorum, sed primum etiam ab Aristotele Philosophum appellat.

Jacobus Granado inter Contro- Jacobus Gra-
versistas celebris Societatis Jesu Scri- nado Societ.
ptor, Controv. 6. de Eucharistiâ in Jesu.

præfatione cap. 4. hæc habet: "Inter omnes Theologos Scholasticos primum locum obtinet S. Thomas Ang. Doctor, huic Angelorum pani devinctissimus, ita ad Sacramentum hoc explicandum cognoscendumque divino lumine perfusus, ut propterea quæ de Eucharistiâ dictavit illam Servatoris nostri laudem meruerint: *Bene hæc scripta sunt.*"

Etsi jam ex Illustrissimo Jacobo Benigno Bossuet testimonium in S. Thomæ laudem cum de petitis ex Conciliis agerem, me adduxisse memor sim; alia tamen quædam quæ apud eūdem legere quivis poterit

prætereunda non arbitror , propterea
 quod fuit ille moribus optimus , et
 quod ad rem etiam plurimum attinet
 Sapientissimus : hic ergo omni planè
 laude dignissimus , quam ipse doc-
 trinam tradebat de incipiente dilec-
 tione saltem ad justificationis gratiam
 in Sacramentis impetrandam omnino
 necessariâ , jam pridem à S. Tho-
 ma , ante Tridentinam Synodus
 fuisse traditam authoritatibus pluri-
 mis , tum ex supplemento ex 4. in
 Sentent. repetito , tum ex 1. 2. tum
 denique ex 3. p. Summæ conquisi-
 tis conatur patetfacere : et post
 omnes authoritates adductas subjungit:
 ” Non ergo immerito diximus tan-
 tam esse Sacrosanctæ Synodi Tri-
 dentinæ cum S. Thomâ doctrinæ
 consensionem , ut ex hâc illa quo-
 dammodo contexta esse videatur.”
 Quæ quidem haud obscure demons-
 trant , maximam fuisse doctissimi vi-

ri de Sancto Thomâ opinionem: nam secus , ut ostenderet Ang. Doctorem sibi patronum esse , non tantopere adlaborasset : itemque sensisse eumdem Ang. Præceptorem cæteris Theologis esse anteponendum , cum plurimis S. Thomam secum sentire contendat , cæteros vero Theologos ne nominet quidem.

Nemini non nota est Joannis Baptistæ Lanuza pietas , et eruditio, idque ejus Homiliæ , quæ passim Doctorum manibus teruntur , sati superque demonstrant. Hic ergo in censura operis sui , quæ in initio 1. tomij habetur §. 5. hæc inter alia de Div. Thomâ ait: singulariter magnam mihi promitto securitatem eo quod perpetuo doctrinam sector celeberrimi Mag. Div. Thomæ , quem Ecclesia Catholica inscribit Doct. Angelicum , illum enim statuit Deus, nobisque tribuit, ut o ij

Joannes Bap-
tista Lanuza,
Episcop. Bar-
bastrensis.

Angelum Raphael , qui comitetur, ducatque tutos illos qui cum Tobia ejus se per omnia directioni commiserint : evertit , refrænatque machinationes , atque impetus terribiles, quibus per manus Hæreticorum Diabolus affixit Ecclesiam , sicut olim Saram. Absque timore procedit erroris , et securus est quicumque Catholicus ejus doctrinæ constantissimus est imitator .”

Joannes Bap-
tista Mascu-
lus Societat.
Jesu.

Masculus insignis Societatis Jesu Scriptor, Encomiorum tom. i. die 7. Martii ait : “ Thomas Aquinas lumen illud ingenii fuit vere augustum quoddam luminis templum , cuius ad asylum juventus maximè genere ac majorum imaginibus clara, confugere , ut tuta sit , debet :: Medulla est Sapientiæ divinioris , interior flos , integer et illibatus inge-

Joannes de
Lugo , Cardi-
nalis.

nii .”

Alter Societatis Jesu Alumnus

sapientiâ clarissimus fuit Joannes Cardinalis de Lugo , qui in prologo super i. p. D. Thom. ait : " Angelicus Doctor S. Thomas Theologiæ Filius dilectissimus , sponsus vigilantissimus , simulque parens fœcundissimus , qui Summam Theologiæ mirabili methodo distributam , quasi quintam essentiam et medullam composuit , in quam omnium suorum laborum et multiplicis eruditio- nis epitomen expressit."

Scripturarius præclarissimus fuit Ludovicus de Thena , Episcopus Ac- citanus , qui in Isagogem in totam Sacram Scripturam ad Lectorem hoc de Div. Thomâ protulit judicium: " Magistri Sententiarum viri alioqui de re Theologicâ optimè meriti Stu- dium indigestum adhuc et impolitum, digessit, ornavit, et expolivit Angeli- co planè quô erat prædictus ingenio D. Thomas Aquinas in illo num- o iij

quam satis laudato opere Summæ Theologiæ , in quo non solum superiores omnes Theologos , verum et seipsum longe superavit , sive copiam, sive ubertatem rerum inspicias, sive perspicuitatem , et docendi methodum intuearis.”

Ludovicus à
Ponte Societ.
Jesu.

Celebris est inter Asceticos Ludovicus à Ponte Societatis Jesu , ejusque Libri divinâ certè sunt unctio ne referti : Hic ergo in tom. i. de Oratione mentali in introductione ante §. i. ait : “Ex Doctoribus Scholasticis unicum tantum promam testem Angelicum Doct. S. Thomam: ipse enim decem millibus præstat, et doctrina ejus certa , secura , et comprobatissima est , ac inter veritates Theologiæ Scholasticæ altissimè sentit , ac sermocinatur de Theologia mysticâ ; sunt enim inter se ambæ conjunctæ , atque in utrâque insignis fuit gloriosus hic Doctor.”

Quo studio , quove labore sapien-
tum omnium criterium fecerit Ludo-
vicus Moreri illum solum latere po-
test , qui ejus celebre Diccionarium
non perlegerit : Hic ergo in verbo
Thomas D. Aquinas ait: „Inter om-
nes Scholasticos S. Thomas absque
contradictione profundior , solidior,
purior..”

Clarissimus vir P. Mabillonius de p. Mabillo-
Studiis Monasticis ad Sacrae Theolo-
giæ Studium Summam Div. Tho-
mæ tanquam in primis necessariam
commendat.

Inter Scriptores quos Hispania Mariana So-
protulit non inferior loco habetur cietatis Jesu.
Joannes Mariana Societatis Jesu , qui
dum calamitates suæ Patriæ deplo-
rat , ingeniorumque sublimium nau-
fragium pari eloquentiâ ac sinceri-
tate quibus inter omnes Historicos
resplendet , lugubri narratione refert ,
remedium promptissimum offert in

Doctrina Div. Thom. inquiens : "Ista viâ tutius incederent , neque in novitates interdum periculosa prolaberentur :" ita Thouron. vita Div. Thom. pag. 419.

Palavicinus, Cardinalis. Non minus inter eruditos bene audit Cardinalis Palavicinus , celebris olim ex historia Concilii Tridentini effectus. Quid de Div. Thoma senserit , facile quisque intelliget , si semel oculos conjecerit in Librum 7. de Virtute et Sacramento Pœnitentiæ , ubi D. Thomam vocat Doctorem celebrem , gloriam nedum Ord. Prædicatorum , sed totius Ecclesiæ Jesu Christi , et universæ terræ , et inter alia hæc ait : "Vix crederem nisi expertus ab aliquibus in Theologica luce versatis tanti Doctoris magnitudinem sibi inaspectam favori , et famæ quadantennus assignari : perinde his accidere mihi videtur ac terricolis cœlum

auspicatis , quibus quanto Sole inferioribus , ipse tanto minor apparet :: Præclare mecum egit divina bonitas , quod me vocabit ad eam Religiosam cohortem , quæ jubetur Angelici Præceptoris Theologiam sequi : eam namque sequerer vel injussus , immo vix non sequerer vel prohibitus :: Id ex me sæpe audiunt , qui me audiunt ; quamvis tanta sit D. Thomæ et Sectatorum frequentia , et laudatorum approbatio , utramque tamen adeo infra merita mihi videri , ut inde communem humanæ perspicientiæ tenuitatem vel aspernari cogar vel miseri .

(Testimonium ex ore inimicorum Petrus Alva prolatum gratius , certiusque haberi debet quam si ab amicis procederet : tale est illud quod protulit Petrus de Alva D. Thomæ certe adversarius , laudisque ejus ossor acerrimus ,

qui tamen vel ipsa veritate coactus
 nodo 5. §. 2. pag. 44. hæc ait : "Solum
 " S. Thomas vocabatur Doctor com-
 munis , sicut Alexander Alensis
 " Doctor irrefragabilis , atque idem
 " erat dicere hæc opinio est com-
 munis, ac dicere , est opinio S. Tho-
 " mæ."

Perron, Car- ~~er~~ In Gallia magna cum laude flo-
 dinalis. ruit Cardinalis Perronius ob erudi-
 tionem , rerumque historicarum acu-
 ratissimam cognitionem : hic in ora-
 tione habita in generali congressu
 Statuum Regni Galliarum ann. 1615.
 ait : " Summa D. Thomæ semper
 " tamquam Theologiæ oraculum sus-
 " pecta fuit , semper publice lau-
 " data , semper (si ita loqui fas est)
 " adorationi habita in Parisiensi Scho-
 " la."

Petrus Riva- ~~er~~ Vix credibile est quot , quantaque
 deneyra So-
 cietatis Jesu. de D. Thoma Encomia protulit Ri-
 vadeneysa : hæc tamen ex Libris

ejus in vita D. Thomæ decerpere
 placet. "Sapientia , inquit , D. Tho-
 "mæ adeo clara , celsa , ac divina
 "est , ut omne ingenium in sui ad-
 "mirationem rapiat , nihil in Theo-
 "logia et Philosophia adeo difficile
 "est , quod ab eo in vias planas non
 "constituatur , nihil pravum , quod
 "non dirigatur , nihil obscurum,
 "quod non ab eo lumen accipiat: nihil
 "occultum , quod per eum non reve-
 "letur : omnia breviter , ac concisè
 "pertractat , ut quot verba tot sint
 "in ejus doctrina sententiæ : ea est
 "adversus hæreses antidotum , et
 "inde accidit quod hæretici nostri
 "temporis , et implacabili odio eam
 "habent , et mordicus insectantur;
 "contra vero pii , sapientesque Ca-
 "tholici ipsam laudibus efferunt , de-
 "prædicant , ac suscipiunt , tanquam
 "columnam , murumque inexpugna-
 "bilem Ecclesiæ : Hinc Doctor Sanc-

„tus merito audit flos Theologiæ,
 „ornamentum Philosophiæ , summo-
 „rum ingeniorum deliciæ , Religio-
 „nis templum , arx Ecclesiæ , Doc-
 „tor Angelicus , Scutum Fidei Ca-
 „tholicæ , maleus hæreticorum , Scho-
 „larum lumen , vir à Deo edoctus,
 „qui de ipso divinitatis fonte pota-
 „vit , inter Sanctos Sanctissimus,
 „Doctissimusque inter Doctos : de-
 „nique uno ore fatentur quemlibet
 „de se ipso facile cogitare posse , se
 „multum in scientiis profecisse , si
 „sibi plurimum doctrinam D. Thom.
 „placere , conscius fuerit.”

Raymundus
 Capisuc. Car-
 dinalis.

Licet de Dominicana Familia in-
 tegerrimæ tamen Fidei vir occurrit

Raymundus Capisuchus , qui in con-
 trover. Theolog. Select. præfat. ad
 Lect. ait : “ Sane obtigit Angelici mei
 „Præceptoris Theologiæ , id quod
 „orthodoxæ Fidei , Sacrisque litteris,
 „nempè auream totam esse , ac sco-

„riæ expertem , contradictionibus
 „explendescit fulgidior , tunzionibus
 „dilatatur , pressuris firmior evadit.
 „Hoc vero solius veritatis ingenium
 „est , et nativus caracter ; sive enim
 „impetatur obnixu imperitorum , si-
 „ve humanorum respectuum lusco
 „despiciatur arbitrio , sive obliquis
 „invidentiæ suffodiatur cuniculis,
 „immota stat , inconcusa viget , tu-
 „tissima perennat.”

Doctissimus in Sacra facultate Suarez Socie-
 fuit , parensque ac caput cujusdam
 factionis Scholasticæ Franciscus Sua-
 rez , meritoque à Sapientibus cum
 admiratione auditus , cum Salmanticae , Compluti , Romæ , ac Conim-
 bræ publice doceret : hic ergo tom. I .
 de gratia prolegom. 6. cap. 6. n. 28.
 hoc de D. Thoma protulit judicium:
 “D. Thomas in explicandis fidei Mys-
 teriis cæteris Scholasticis Theolo-
 gis antefertur et primis Ecclesiæ

„Doctoribus comparatur: quapropter
„ter eum tamquam primarium Du-
„cem, et Magistrum habuimus.”

Segneri So-
cietatisJesu.

Quantum apud eruditos valeat
auctoritas P. Segneri, ex ingenii
præstantia, puritate vitæ ac summo
honore quo ab Innocentio XII. habi-
tus fuit, cum Prædicatoris ipsius or-
dinarii ac Theologi Pœnitentiariæ mu-
nere fungeretur, cuique facile pate-
bit: Hic ergo in Paneg. D. Thomæ
cui titulus *L' ingegno donato à Dio:*
ait: “Jure merito Deus S. Thomam
„Præcept. Angelicum, tanta per or-
„bem universum longe lateque illius
„diffussa gloria in sua Ecclesia
„illustrem adeo reddidit, ut tam-
„quam Sol fulgentissimus errorum
„caligines, et hæresum tenebras fu-
„garet, cunctosque Divinæ Sapien-
„tiæ radiis illuminaret.”

Wadingus — Judicium de D. Thomæ doc-
Ord. Minor. trina, quod protulit Wadingus ne-

dum absolute , sed relative ad alios
 illam supra modum deprædicat et
 exaltat : sic enim ait : " si velint om-
 „ nium dubiorum solutionem in Sco-
 „ to non haberi , et pro multis eno-
 „ dandis Thomam esse consulendum ,
 „ id libentius admittimus , diffusius
 „ enim , clarius , copiosius , frequen-
 „ tiorum quætionum partitione Di-
 „ vinam , moralemque tradidit ille
 „ disciplinam."

Sæculum XVIII.

Quot , quantique celeberrimi Scrip-
 tores Theologi , Juris utriusque con-
 sulti , Polemici , Scripturistici , Na-
 turalistæque Sæculo XVIII. prodie-
 xint , vix aut ne vix quidem poterit
 aliquis enarrare ; quamvis tamen plu-
 rima in his de Commendatione Doctri-
 næ D. Thomæ testimonia reperiantur ,
 ab his tamen recensendis abstinere
 in animo est , ne congerie approba-

tionum Lector obruatur , et denuo cogatur legere , quod in Libris qui diu , noctuque in manibus versantur , reperire facili negotio poterit . Minimè tamen silentio prætereundum est , quod vir integri judicii , ac in juris prudentia versatissimus de illo protulit : is est

Franciscus
Ramos del
Manzano.

Franciscus Ramos del Manzano , qui ad Leges Julianam , et Papiam lib. 3. cap. 22. n. 2. ait : " Melioris Theologiæ columnen D. Thomas Aquinas , et ibidem n. 1. de se ait : Mibique vel sola Div. Thomæ nominis præscriptione probatissimum .

Lucas Rami-
rez , Episcop.
Ludensis.

Alter nobis occurrit Lucas Ramirez Ord. S. Francisci Observant. cuius doctrinam , variamque eruditio nem evidentissime demonstrat triplex ille agon , quem sustinuit : certamen re vera incredibile suoque tantum ingenio dignum : hic ergo , in epist. dedicat : " sui defensorii

„Thomistici hæc inter alia habet:
 „cuncta equidem quæ extant hujus
 „celsissimi Doctoris scripta Scholas-
 „tica legi , ac relegi , consideravi
 „opera illius , et expavi , eorum me-
 „thodum , profunditatem , ordinem-
 „que demiratus. Doctor ordinatissi-
 „mus , solertissimus , profundissi-
 „mus , D. Thomas jure excellentiæ
 „ac primitatis Doctor Angelicus. In
 „Summa Theologica præcipue cunc-
 „ta congerit , digeritque quæ pro
 „hoc statu resciri digna sunt , stilus
 „brevis , grata facundia , celsa , cla-
 „ra , firma sententia.

Huic minime secundus Scriptor Henricus Flo-
 alter occurrit Ordinis Augustiniani,
 rez Augusti-
 et Sæculi nostri decus Henricus Flo-
 rez , et sua historia , et operibus
 Theologicis notissimus : hic in 1. tom.
 Theologiæ Augustinianæ in ratione
 operis ad Lect. ait : "adhibemus An-
 gelici Præceptoris testimonia (præ-

„termissis aliorum Patrum , Docto-
 „rumque Sententiis) quia velut le-
 „gitimus Protoparentis Filius , et
 „Discipulus medullitus Augustinian-
 „nus , nihil scripsisse videtur , nisi
 „quod Augustinus sugessit scriben-
 „dum , nec melius exponi potest
 „prope Divini mens quam per in-
 „telligentiam Angelici.

Antonius Ge-
nuensis.

Etsi inferior merito , fama tamen
 non vulgari pollet Antonius Ge-
 nuensis in rebus Philosophicis con-
 scribendis acutum ingenium , clarum-
 que demonstrans . “ Hic etsi Thomis-
 ticæ doctrinæ parum addictus , ve-
 ritatis vi coactus in elem. Metha-
 phis. ann. 1751. p. 1. cap. 4. §. 44.
 „adversus Spinosam agens : bina , in-
 „quit , proferam loca (S. Tho-
 „mæ) ut quantum hic homo fuerit
 „Philosophus intelligatur :: paucis
 „complexus est quæcumque cæ-
 „teri longo sermone ediserere

„solent , quam nervose!“

Nemini non nota est altissimæ eruditionis fama, qua Parisiis, Troade, Bruxelis ineunte hoc Sæculo XVIII. floruit Carolus Jacobus Duguet, in prima enim ex his Civitatibus Congregationi Oratorii nomen dedit , in altera Philosophiam publicè docuit, in tertia apud clarissimum Virum Arnaldum mansit quousque Parisios reversus extrellum obiit diem. Hic ergo inter alia plurima opera collectionem quandam fecit epistolarum, quarum in aliquibus honorificam doctrinæ Div. Thomæ mentionem facit: nonnulla ex his excerpta indigtabimus. In 2.º igitur tom. epistol. 36. ad quendam Virum Ecclesiasticum directa pag. 331. hæc inter alia habet : “optimæ ætatis es , ut solide studio Div. Thomæ incumbas, expeditique nec minimum in Theologia positiya progredi , quin ordinem

Carolus Jacobus Duguet.

„ methodumque in hoc S. Doctore ad-
 „ discas. Post Augustinum inter Theo-
 „ logos Primas habet. Ut plurimum
 „ quod securum est , ab illo resolvi-
 „ tur , tantaque in principiis ejus con-
 „ nexio resplendet , ut ex Thomæ
 „ æque , ac ex Augustini operibus
 „ discas veritates in ordinem redige-
 „ re , permultasque resolvere quæs-
 „ tiones parvo principiorum numero,
 „ quæ tamen et certitudinem habent
 „ et fœcunditatem. Quod antiquæ
 „ Philosophiæ quibusdamque subtili-
 „ tatibus adhæserit , id vitio sæculi
 „ quo vixit , dandum est. Iis tantum
 „ stili simplicitas displicet , qui vo-
 „ luptatem , dicendique gratiam , po-
 „ tius quam veritatem inquirunt ; nec
 „ uniformitatis tædet , nisi illos qui
 „ plus imaginatione , quam intellec-
 „ tu pollent : optime ages si lectio-
 „ nem hujus Sancti à Summa inci-
 „ piás , ab illa tamen ad quæstio-

„nes disputatas , ad quodlibeta , ad
 „commentaria super Magistrum Sen-
 „tentiarum , librosque contra gentes
 „procedes , et si necesse fuerit sóli-
 „da exactaque super epistolas Pauli
 „commentaria consules.”

Idem in tom. 4. epist. 22. ad quem-
 dam Canonicum pag. 438. hæc ait:
 “Nemo unquam plus justo D. Tho-
 „mam pretio habebit , cuius principia
 „admodum concatenata sunt , alia
 „ex aliis pendentia , simulque claris-
 „sima , ac fœcundissima.” In eadem
 epist. pag. 446. ipsum monet “ut se-
 „cundam partem Summæ D. Thomæ
 „perlegat , priusquam ad ministe-
 „rium audiendarum confessionum ob-
 „eundum accedat.”

In 7.^o epist. 36. de morali studio
 pag. 283. scribit : “D. Augustini
 „lecturam sociari debet lectio se-
 „cundæ partis Summæ S. Thomæ,
 „cuius decisiones securitate gaudent,

„et tamquam regulæ ab his qui de hac
„materia tractarunt , suspectæ sunt.”

In tom. 9. epist. ad quemdam Ecclæsiasticum pag. 195. tot tantaque de D. Thoma deprædicat , quod vix, aut ne vix quidem alium reperire fas sit , qui exactiora ejus doctrinæ encomia concinnarit. Ne vero supra modum hoc opus excrescat , Lectorem ad citatam epistolam remittimus ipsum monentes , ut et propositam ibi Methodum , qua D. Thomæ Summa addiscenda est , accurate recognitet , et ætatem juvenilem huic doctrinæ convenientiorem esse audiens, intelligat , quam juste utiliterque Sæculo XVI. Summa D. Thomæ littoraliter memoriæ mandabatur , ac in Universitatibus tradebatur. Quod Studiorum genus vere origo , et fons credendum est illius eruditionis , ac Sapientiæ quæ aurei sæculi scientiarum nomenclaturam ob insignium Vi-

rorum copiam Sæculo XVI. dede-
runt. Et sane hodie nunc famâ hu-
jusmodi Hispania nostra claresceret,
si scientiæ mediæ virulenta lues op-
tima ingenia non hebetasset , cor-
rupissetque.

Sed quid adhuc egemus testibus? Carolus III.
Hispan. Rex.
Unus pro mille nobis occurrit , Au-
gustissimus æque , ac piissimus Rex
Catholicus Carolus III. qui maturo
prævioque examine , consilio Præsu-
lum , Magnatum , Regiique ac Su-
premi Senatus Castellæ seria me-
ditatione adhibita in sanctione data
die 14. Augusti ann. 1768. Doctri-
nam Div. Thomæ tamquam sanam,
ac Ecclesiæ Doctrinam pronuntiat
numero XVIII. his verbis Hispano
sermone scriptis. "Para los Estudios
, Eclesiásticos interiores del Semina-
, rio , cuya enseñanza y perfeccion
, es mas propia del Clero , deberá ar-
, reglarse un método, que sirva de nor-

„ma en las erecciones que se hagan,
 „y á cuyo fin en el concepto de mi
 „resolucion , á consulta de mi Con-
 „sejo en el extraordinario de 29 de
 „Enero del próximo año pasado , so-
 „bre que solamente se ha de ense-
 „ñar la doctrina pura de la Iglesia,
 „siguiendo la de S. Agustin y San-
 „to Thomas , mando á el mismo
 „Consejo haga prohibir todos los co-
 „mentarios , en que directa , ó indi-
 „rectamente se oigan máximas con-
 „trarias , ó se lisongeen las pasiones
 „con pretexto de probabilidades ó
 „doctrinas nuevas agenas de las Sa-
 „gradas Letras , y mente de los Pa-
 „dres , y Concilios de la Iglesia.”
232

~~one~~ Vi hujus Decreti cum in singulis
 respective Universitatibus in concessu
 pleno omnium DD. super electione
 Auctoris , quem in Theologia tam-
 quam Ducem , Magistrum , ac Præ-
 ceptorem haberent , diu disceptatum

fuisse, eorum sententiæ ad Supremum Senatum missæ, discussæ, ad Regiam Majestatem delatæ sunt, et protinus Viris Doctis, Academiis, Ecclesia, populoque plaudentibus, vox illa à Supremo Regni Solio, per cunctas Regi Catholico subjectas ditiones intonuit: *In Theologia Scholastica unus tantum explicetur, ac tenetur D. Thomas.* Hoc à Præsulibus Ecclesiæ in suis Pastoralibus epistolis omnibus suarum Diœcesium Fidelibus injunctum, hoc ab ipsis in suis Seminariis Conciliaribus statutum, hoc ab Universitatibus totius Regni cumulatè præstitum fuit. In Salmantina præsertim, Doctrina D. Thomæ stabilita ita invenitur, ut nedum pro Theologia Scholastica edocenda proponatur, sed, et pro Morali assignetur vel Natalis Alexandri, vel Fulgentii Cuniliati utriusque ex Dominicana Familia opus Theologicum


Morale , cum lectione tamen litterali Summæ D. Thomæ (*Vide Synopsim Studiorum ejusd. Universitatis pag. 123. 126. et 139*). Hoc etiam in Vallisoletana , et in Complutensi stabilitum fuit , ann. 1772.

Huic Universitatum Studio certe gratulari possemus his verbis quibus Cardinalis Cajetanus olim Studium Universitatis Heydelvergensis laudavit inquiens (epist. ad Univers. dat. quæ habetur initio 1.2. Conradi). "Ex
 „litteris vestris X. Kalendas Maii ad
 „me datis accepi studium vestrum
 „ac observantiam ad veram , sanc-
 „tamque doctrinam Doct. nostri
 „Thomæ Aquinatis. Non possum
 „non laudare studium hujusmodi:
 „Est enim Doctrina D. Thomæ ex
 „abisso sapientiæ salutaris hausta
 „adeo profunda , ut Doctissimus quis-
 „que , et summo ingenio præditus
 „ad intima ejus pervenire cupiens,

„videat semper sibi immensum quod-
 „dam pelagus subtilitatis restare,
 „quo conari possit ; ita vera et so-
 „lida , ut quisquis in ea sedulo se
 „exercuerit , ab ea non declinans,
 „omni careat erroris suspicione : sic
 „irrefragabilis , ut qui eam impug-
 „nare conati sunt , hactenus frustra
 „laboraverint , nisi quod eam suis
 „impugnationibus , et clariorem , et
 „gloriosiorem reddiderunt , et invic-
 „tam comprobarunt.”

Tale de D. Thoma protulere ju-
 dicium , Rex , Senatus , Episcopi om-
 nes Hispaniæ , neque ullum efficacius
 Jesuiticæ doctrinæ veneno re-
 medium invenerunt , quo et fidem
 sartam tectam conservarent , et po-
 pulos in officio continerent , et vi-
 tam Principum in tuto collocarent ,
 et laxiorem Doctrinam ab Ecclesia
 eliminarent. A referendis tamen eo-
 rum verbis supersedemus , ne opus

in immensum succrescat.



CAPUT VIII.

Hæreticorum testimonia.

Validis absque dubio nititur privilegiis (ajebat S. Maximus homilia 1. Paschæ) qui causam de adversariis adstruit instrumentis: *hæc est enim veritatis inalterabilis demonstratio*, cum inimicos quis invocat testes (inquit D. Chrisostomus apud D. Thomam in cat. aurea super caput Joannis 18). et re vera ita est, inimicorum enim ora adulatio, assentandique libido non movet, amoris affectus labia non distorquet, cumque eis propositum sit veritatem in æmulo carpere, tanto gloriosior est veritatis ipsius triumphus, quo majore suo pondere premit, exprimitque ex adversariis certum, licet coactum testimonium.

Primus ex his Angelicæ Doctri- Bucerus.
 næ infensissimus hostis in arenam des-
 cendit Bucerus et fidei , et veritatis
 desertor : hic furii in Ecclesiam in-
 vectus , spiransque minarum in ejus ~~superiorum~~
 perniciem grassabatur , et licet malo
 omine , nam portæ inferi adversus
 eam non prævalebunt , illam se pos-
 se destruere audacter jactitabat , si
 D. Thomæ Doctrina è medio tolle-
 retur , hinc ajebat : *tolle Thomam et*
dissipabo Ecclesiam Dei. Audire mi-
 hi videor vocem illam Arrianorum
 ad Constantium Imperatorem : *Pro*
nibilo sunt tanta opera tua , neque
quidquam profecimus , quandiu reliquus
est Hosius. (Ita Athanasius Epist. ad
 solitariam vitam agentes) vel potius
 eadem ista cum illa Blasphemia est,
 quam Dæmones de Beatissima Vir-
 gine Maria tempore S. Dominici pro-
 tulerunt : *Nisi Mariota ista , inquiunt ,*
obstitisset , nostrosque conatus repre-

sisset; à longo jam tempore totam Ecclesiam interminassemus. Ita Maluenda cent. I. Ord. Prædic. ann. 1215. pag. 140.

Lutherus. Non minori impietate adversus D. Thomam sacrilegam movit linguam Martinus Lutherus, cuius Blasphemiae inter celebriores D. Thomæ laudes computandæ sunt, sic enim quondam ad D. Augustinum S. Hieronym. scribebat, inquiens: Catholici te conditorem antiquæ rursus fidei numerant atque suscipiunt, et quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur: Hinc Alphonsus Salmeron Societatis Jesu (proleg. 18. in Evang. tom. I.) ait: *Hoc laudibus B. Thomæ adjungendum, quod impius Lutherus eum inter septem Phialas iræ Dei connumeravit:* Nefarius ergo ille sic de D. Thoma loquitur: "Thomas est veræ fidei corruptor, et Scripturarum dilacerator, divinique verbi perversus

„interp̄es, veræque adulterator Theo-
 „logiæ , hæresum atque falsitatum
 „plurimarum inventor : Quid ad me
 „quod Bullarum Episcopus eum ca-
 „nonizavit ? Similiter ajebat: impiam
 „illam extravagantem Clementis VI.
 „ex opinionibus Thomæ insulsissimis,
 „et meris figmentis conceptam. Idem
 „criminabatur Leonem X. quod ni-
 „mis Thomam in pretio habens ex
 „privata ejusd. Doctrina in suis de-
 „finitionibus ageretur. Idem Eccle-
 „siam Romanam Thomistam appell-
 „labat , ejusque Doctrinam Thomis-
 „ticam (1).” En vel invitus fatetur,
 dum maledicta in D. Thom. conge-
 rit , doctrinam ejus doctrinam esse
 Ecclesiæ , illaque Romanos Pontific,
 uti in suis definitionibus. Quid pre-
 clarius ? Quid laudabilius ? nihil ta-
 men tibi , Luthere , debemus.

(1) Ita Gravina pro Sacro deposito cap. 24.
n. II.

Non eandem viam ac eorum Par-
rens , et Antesignanus terere visi-
sunt reliqui hæretici Protestantes:
Esto enim de Ecclesia Catholica ma-
le senserint , Divoque Thomæ adver-
sentur quoties de Religione agitur,
nihilominus ipsum laudibus prose-
quuntur in aliis operibus.

Erasmus in *Erasmus D. Thomam vocat "virum*
Caput.V.Epi.
ad Rom. *non suo tantum sæculo magnum, cui nul-*
lius recentiorum Theologorum par sit
diligentia , cui sanius judicium , cui so-
lidior eruditio."

Brucherus. Brucherus Philosophiæ tom. 3.
period. 2. p. 2. lib. 2. cap. 3. sect. 2.
§. 19. in *Philosophia Scholastica* , ait:
"D. Thomas principem locum tenet in
"Theologia : consensum Patrum et
"Scripturæ quærit ::: ac postea confite-
"tur Pontifices, Academias, Gimnasia,
"et quidquid de doctrina , et eru-
"ditione judicare solet in profunden-
"dis Thomæ laudibus decertasse;

„ibidem ait : fatemur omnino fuisse
 „in Thoma judicandi aciem haud
 „mediocrem , ingenium excellens,
 „lectionis copiam , et inexhaustam
 „prorsus industriam.

¶ Henricus VIII. Angliæ Rex cum Henric. VIII.
 nondum in ceno hæresis volutatus
 fuisset , et adversus Lutherum pro
 Catholica Religione decertaret , in
 assertione de Sacramento Altaris,
 hæc habet : “Vir eruditissimus , et
 „idem Sanctissimus Thomas Aqui-
 „nas : quem ideo libentius comme-
 „moro , quoniam ejus viri sanctita-
 „tem Lutheri ferre non potest im-
 „pietas ; sed quem omnes Christiani
 „venerantur pollutis labiis ubique
 „blasphemat.”

¶ Theodorus Beza Hæreticus Cal-
 vinista fere Bucceri Æmulus hæc
 ait “D. Thomæ doctrina est Catho-
 licismi unicum fundamentum : tol-
 lantur de medio Thomæ scripta , et

Theodorus
Beza.

„nón erit difficile cum omnibus subi-
„re certamen , et vincere.” Ita Ra-
fael Savonarola Cleric. Reg. Theati-
nor. in orbe litter. litt. T. verb. *D.*
Thomas Aquinas.

Joannes Chu-

Joannes Chusus Oxoniensis Cal-
vinista in speculo Moralium quæs-
tionum ait : “ Multi hodie , cum au-
„diunt nomen Thomæ , supercilia
„contrahunt , et distorquent labia,
„sed si isti serio unam vel alteram
„quæstionem in illo sine præjudica-
„ta sententia legerint , detracta pa-
„lea purissimum granum , sublata
„scoria aurum splendidissimum , for-
„san se invenisse dixerint.”

Leibnicius.

Infensissimus hostis Scholasticorum
fuit Leibnicius , asserens illos nus-
quam quæ bona vel recta sunt , in-
quirere : tamen de D. Thoma, Theo-
diceæ, §. 330. hoc protulit judicium. *Tho-*
mas Aquinas ad solidum tendere solet.

Sæpe D. Thomæ ingenium ejus-

que acumen singulare commendat Christianus
Christianus Wolfius, ut videre est,
Theolog. natur. p. 1. cap. 3. §. 46. et
cap. 4. §. 685. et alibi.

Insignis fuit Professor Jiennensis Waltherius.
Waltherius qui in oratione Jienæ ha-
bita hæc adversus Puffendorfum ait:
"Vos venerandi mei Præceptores,
"Theologi, vos inquam rogo, vos
"obtestor, eloquamini, per Deum elo-
"quamini, an Moralistarum Prin-
"ceps Thomas nugas dumtaxat ven-
"ditaverit?

Vel ipse Morophius profundita- Morophius.
tem ingenii D. Thomæ cum Demos-
thenis profunditate comparat dicens
(Polyst. tom. 1. lib. 2. cap. 1. §. 4.): "ex
"hoc genere inter antiquos Demos-
"thenes, Virgilius, Thomas Aquinas
"fuere, atque hic posterior eam ob-
"causam Bobis nomine appellatus
"fuit. Solent illi profunda discipli-
"narum omnium penetrare, in civi-

„libus solidâ instructi esse prudentiâ.

Grotius. Quod nomen Grotius inter juris naturalis peritos habeat cuique littérato notissimum est , hic vero de D. Thoma loquens ait : *Neque pænitentibit ex Scholasticis Thomam Aquinatem si non perlegere , saltem inspicere 2. p. 2. p. libri quem Summam Theologiæ inscripsit : præsertim ubi de justitia agit ac de legibus.* — Hæc autem dicebat scribens Benjamino Maurerio , qui ab ipso rogaverat rationem Studii utiliter impendendi in morali doctrina (Epistola 54).

Georgius Paschius. Non dissentit ab eo Georgius Paschius , qui post vocatas lectiones Ethicas S. Thomæ “opus doctum , „et utile , ait (introduct. in rem literar. Veterum sapientiæ Antist. cap. , 2. §. 12.) præstavit non contemnen- „dum usum ejusd. Thomæ Summa „Theologiæ , et in primis 2. a 2. æ ut vocatur , qua de rebus practicis tam

„ampla doctrina continetur, ut viri
„ingenium, et judicium mirari sa-
„tis non possimus.

Ludovicus Crotius *insignem Tho-* Crotius.
mæ et admirandam sapientiam prædi-
cat. De ratione studior. Theologic.
cap. 3.

Gabriel Naudæus suæ Bibliogra- Naudeus.
phiæ politicæ pag. 2. et 36. D. Tho-
mam ait: *Esse in ethicis omni lau-*
de, et commendatione majorem, et
nihil non docte ac sapienter protulisse.

Buddeus ipsum vocat *Virum mag-* Buddeus.
num et excellenti ingenio præditum
(instit. Dog. lib. 3. cap. 2.).

In historia Philosophica quam Georgius Or-
nius. Georgius Ornius scripsit lib. 6. cap.
4. tale de D. Thoma protulit judi-
cium: *Hoc neque in studendo dili-*
gentior quisquam nec parcior in lo-
quendo.

Quæ commendatio splendidior?
quod egregium magis testimonium de
Q iij

D. Thomæ Doctrina proferri poterit , quam id quod ex adversariis ipsius modo retulimus ?

CAPUT IX.

Conclusio operis.

Vere de D. Thoma illud affirmari potest , quod olim Lambertus de Monte occinuit (1) reperiturque in fronte sui libri de Cœlo , et Mundo Coloniæ prælo dati ann. 1498.

Si fueris cupidus Sophiæ mox carpe flores.

Scripta Thomæ Divi perlege , doctus erit.

Neque vero tantum doctus , sed et contra hæreses securus ; ipse enim universorum errorum fontes obturavit , ut recte notat Leonardus de Utino author Sæculi XV. inquiens : " adjuvit S. Thomas Ecclesiam in sua doctrinâ .

(1) Floruit hic Doctor Lovaniensis an. 1490.

na omnem errorem supprimere , et calcare , et errantes ad viam veritatis reducere . Hi autem distincti sunt in duodecim gradus ; primi sunt naturales , qui varios errores induxerunt in principiis rerum naturalium , quæ principia colebant tamquam Deos , ut declarat Tullius in lib. de natura Deorum : S. Thomas hos errores confutans , obtulit Librum Opusculorum naturalium , in quo manifestat veritatem principiorum naturalium , propter quod dicunt illud Sapientiæ 5. *Ergo erravimus à via veritatis , et justitiae lumen non illuminavit nobis , et sol intelligentiae non est ortus nobis.*"

Secundi sunt Morales , qui varios errores induxerunt , sicut Socrates , qui inter alia posuit , quod in civitate omnia debent esse communia , scilicet possessiones , uxores . Hos errores confutans S. Thomas,

obtulit illis librum de quatuor Virtutibus Cardinalibus , in quo declarat , quid sit tenendum circa ista secundum veritatem.

Tertii sunt Stoici , qui varios errores induxerunt circa virtutes morales : S. Thomas illos confutans obtulit Librum Ethicorum , in quo exposuit veritatem eorum quæ continentur circa doctrinam morum.

Quarti sunt Academicci , qui voluerunt quod nihil possit sciri certitudinaliter : S. Thomas obtulit illis Librum qui dicitur , *Quodlibeta* , in quo docet quid veri ac certi tenendum sit in singulis.

Quinti Peripatetici , qui in varios inciderunt errores ob ductum Aristotelis : S. Thomas obtulit fidelem expositionem super Libros Philosophiae naturalis , in quibus ostendit veritates naturales non contradicere veritatibus Theologicis , item-

que dedit Summam contra Gentes.

Sexti sunt Epicurei , qui voluerunt animam interire cum corpore: S. Thomas obtulit illis Librum quæstionum de Anima , et quæstiones de *malo* , in quibus declarat pœnas Hominum pro peccatis , et gloriam semipiternam pro virtuoso vivere.

Septimi sunt Judæi , qui negant multas veritates circa fidem Christi, Angelorum officia , gratiam Incarnationis : S. Thomas obtulit istis quæstiones de veritate , et quæstiones de Incarnatione Verbi , et Postillam super Joannem.

Octavi sunt Græci , qui negant Processiones Spiritus-Sancti à Filio, et multa circa potestatem Romani Pontificis: S. Thom. obtulit istis expositionem super primam Decretalem ultra Librum contra errores Græcorum.

Noni sunt Hæretici sicut Origenes , Manicheus , Pelagius et aliis.

S. Thomas obtulit eis Summam Theologiæ , Librum de Articulis Fidei ad Mag. Ordinis Prædicatorum, et quæstiones ad Lectorem Bisuntinum.

Decimi sunt Rectores Civitatum qui multos patiuntur defectus in illarum gubernatione : S. Thomas obtulit eis libros de eruditione Principum, itemque Politicorum et Œconomicorum in quibus docet modum gubernandi Civitatem et familiam.

Undecimi sunt contemplativi in quibus contingit defectus ex contemplatione divinorum , præcipue Cœlestium Secretorum : S. Thomas obtulit eis expositionem super Canticum Canticorum , librum de substantiis separatis , et catenam auream super quatuor Evangelia.

Duodecimi sunt activi , præcipue Ministri Ecclesiæ in quibus potest evenire error circa ministeria sua: S. Thomas obtulit illis expositionem

super Libros Dionysii in quibus Of-
ficia Ministrorum Ecclesiæ declaran-
tur secundum Ordines Angelorum.

Hi igitur omnes tenentur fateri
quod S. Thomas sit lux Mundi:
hucusque Leonardus.

En igitur candide Lector nullum
esse hominum genus, nullam Rei-
publicæ classem, quæ non à Div.
Thomâ lumen accipiat, et quæ se
multum illi debere non agnoscat à
quo omnium errorum præsentissimum
anthidotum efficacissimumque recipit.

— Sed quâ moderatione errores
expulit, errantesque cohibuit, illo-
rumque rationes nullas esse mons-
travit? audiatur insignissimus, hu-
jusque nostri sæculi Sapientum pri-
mus Benedictus XIV. qui id totum
paucis verbis luculentissimè exprimit:
hic ergo Summus Pontifex constitu-
tione *solicita* tom. 4. ejus Bull. §.24.
ita ait: " Angelicus Scholarum Prin-

ceps Ecclesiæque Doctor S. Thomas Aquinas, dum tot conscripsit numquam satis laudata volumina, varias necessario offendit Philosophorum, Theologorumque opiniones, quas veritate impellente refellere debuit: cæteras vero S. Doctoris laudes id mirabiliter cumulat, quod adversariorum neminem parvipendere, vellicare, aut traducere visus sit: sed omnes officiose ac perhumaniter demereri. Nam si quid durius, ambiguum, obscurumque eorum dictis subesset, id leniter benigneque interpretando emolliebat, atque explicabat: si autem Religionis ac Fidei causa postulabat, ut eorum sententiam exploderet ac refutaret, tantâ id præstabat modestiâ, ut non minorem ab iis dissentiendo, quam catholicam veritatem asserendo laudem mereretur.”

“Eant igitur, ajemus cum Pa-

tribus Salmanticensibus Excalceatis
 (Oratione exhortatoria tom. I. Cursus Theologici), et totum orbem circumeant, quotquot bonarum facultatum addiscendarum amore accensi, et stimulati nobilissimum perquirunt Magistrum. Quod si non invenerint, ut prorsus non invenient alium, aut nobiliorem aut æque nobilem, eligant Thomam Angelicum Doctorem, Parentum Regali prosapia illustrissimum, claritate adhuc nativâ divinos radios emittem, vitæ sanctitate et Religione eximium, præstantissimo ingenio clarum, cuius doctrina præter integerrimam veritatem, inconcussam stabilitatem, antiquitatem, antiquitatisque venerationem, copiam, varietatem, indi-
 vulsam unitatem, in obscurissimo textu explicando perspicuitatem, præclaram methodum, ac stili venustatem, universalissimamque Academia-

rum , Religionum , Pontificum , Conciliorum , cœlestemque et diuinam approbationem supremum post canoniam nobilitatis ac excellentiæ gradum sibi jure optimo vendicat. In libris enim hujus S. Doctoris habet Gentilis unde illuminetur , Ju-dæus unde emolliatur , Hæreticus unde reducatur , Devotus unde ædificetur , tepidus unde incalescat , contemplativus unde sursum agatur , indoctus unde instruatur , doctior unde perficiatur , doctissimus unde consummetur.”

Liceat ergo mihi ad conspectum hujus celsissimæ doctrinæ voces illas usurpare , quas olim Ecclesia in præfatione pro festo S. Thomæ inter Missarum solemnia canebat (1) “O felix et inclytus Doctor qui suâ universos doctrinâ errores destruxit , et

(1) Videatur Pizamanus in prologo Opusc. D. Thom. impres. Venet. an. 1490. et Missale Dominican. an. 1524.

Orthodoxam fidem firmissimis præsidiis protegit , ac defendit! Hujus doctrina tantâ præfulget veritate sermonis , ut qui eam tenuit à veritatis ac rectæ Fidei tramite deviasse numquam fuerit inventus , et qui eam impugnavit , semper habitus sit de veritate suspectus. ; O certam, præclarissimam atque fulgentissimam doctrinam ! cui veritatis præcones gloriostissimi Petrus et Paulus Apostoli tui , et inclyta semper Virgo Maria cum filio Domino nostro Jesu-Chris- to pro Mundi salute crucifixo , et Universalis et Apostolica Ecclesia testimonium perhibent veritatis. ; O Sapientiæ lucidissimum speculum, Universalis Ecclesiæ lumen præfulgidum , candelabrum insigne , ac lucens , ignorantium tenebras perlustrans , et hæresum latebras scientiæ claritate demonstrans ! ; O stellam splendidissimam , et matutinam Mun-

di hujus tenebras illustrantem! Lætetur igitur Ecclesia tua, Deus, novi hujus Solis irradiata splendore: Prædicatorum Sacra Religio tanti luminis illustrata fulgoribus, jucundetur, et plaudat: Religiosorum devotio concrepet: Doctorum turba complaudat: animentur ad studia juvenes: proiecti non torpeant: senes delectentur in illis: omnes in humilitate proficiant; singuli contemplationem non deserant, sed mandata Dei seduli exæquantur, et compleant. Pro hujus igitur gloriissimi Doctoris Thomæ Aquinatis honore et gloriâ hodie Majestati tuæ festa persolvimus, et gratiarum et laudum hostiam immolamus. Et ideo cum Angelis &c."

Tantorum igitur habentes impositam nubem testium, quis studiosus erit?, quis scientiæ cupidus, quis veritatis amans, qui doctrinam

Div. Thomæ totis viribus non amplexabitur? Certè si in cæteris Nationibus tanquam infandum crimen in re litteraria suspectum foret , si quis à Div. Thomæ doctrinâ recederet, quid in Hispania nostra reputabitur? cum et plurima ejus opera pro nostrâ salute conscripta esse noverimus, et majora nostra ingenia in ejus Libris explicandis desudaverint? Consulat qui voluerit Nicolaum Antonium Bibliothecæ Hispanæ tom. 2. pag. 502. ibique reperiet usque ad ducentos nonaginta et quinque insignes Viros Hispanos , qui commentaria super opera Div. Thomæ fecerant usque ad ejus tempora , hoc est usque ad ann. 1680. ¿Quis ergo tam audax invenietur , qui tantorum Majorum nostrorum labores incassos faciat? ¿Despectuine dabimus , quem illi venerati sunt? Præsules Doctrinam Div. Thomæ sequuntur , se-

quendamque proponunt; Reges piissimi, sapientissimique Ministri illam tenendam præcipiunt, omnes sapientes eam admirantur, et sciolus quisque, qui nedum à primo limine sapientiæ Aras salutavit, ludibrio haberet, ab omnibusque rejici debere contendet? avertat Deus hoc ab Hispania malum, faxitque ut omnes vel ipsa veritate coacti, ejus vestigia premant, totis visceribus concupiscant, de illâque hoc judicium efforment quod olim Petrus Labbe Societatis Jesu typis mandavit, posteritati reliquit, nosque ipsi pro coronide operis hic adnectimus.

Thomas Angelus erat, antequam esset Doctor Angelicus.
Angelorum Discipulus, et pæne æmulus fuit.
Multa ab Angelis didicit, quædam Angelos docere potuit.

Aut Theologiam ad terras deduxit de Cœlo:
 Aut scivit in viâ , quod videtur in Patria.
 Audivit Apostolus arcana verba , sed illa tacuit.
 Quæ Paulo dicere non licuit , hæc Thomas dixit.
 Mysteriorum compendium est Summa Thomæ.
 Inclusit Hieronymos , Augustinos , Ambrosios,
 Gregorios.

Inclusit seipsum , major seipso et minor.
 Epitomen fecit alienæ sapientiæ , et Summam suæ.
 Didicit omnes , qui Thomam intelligit.
 Nec totum Thomam intelligit , qui omnes didicit.
 Augustinus aliquando obscurus apud Thomam
 est clarus.
 Ubi alii dubitant , Thomas non ambigit.
 Ubi omnes desinunt , indè incipit.
 Inde progressus eo ascendit , quo nemo præiverat.
 Sequitur præviam fidem , et eam ducit.
 Sociam facit Theologiam Fidei , et Magistram.
 Ostendit quidquid illa credit.
 Neque aliud superest nisi lumen gloriæ post Sum-
 mam Thomæ.
 De Deo sic loquitur quasi vidisset.
 De Angelis sic disputat quasi Spiritus esset.

Ingenerat horrorem peccati , dum ostendit.
 Amabiles facit virtutes , dum describit.
 Incarnatum Verbum sic explicat , quasi vox Verbi.
 Siste aliquando , Thoma , pervenit ad summum
 Summa tua.

Ire ulterius non potest nisi aliquid quærens post
 omnia.

Bene scripsisti de me Thoma.

Probat Scripturam Hominis , qui character est Patris.
 Silete linguæ , ubi Deus laudator est.
 Fallere non potest qui laudatur , dum qui laudat
 non fallitur.
 Appellent homines Thomam Angelum Theologiæ.
 Dicant Pontifices Summam tot miraculis constare
 quot titulis.

Plus dicit una vox BENE.

Christus est Verbum Patris , Thomas adverbium
 Filii.

Quam ergo mercedem accipies ?

Quam bene scripserit , collige ex testimonio.
 Quam bene vixerit , disce ex præmio.
 Ut sciat meritum virtutis , datur optio præmii.
 Quid eligat nisi Deum , qui novit pretium Dei?

Nec potuit eligere majus , nec de-
buit minus.

Malè scripserat , si aliter elegisset.

Atque hinc quidem jam satis in-
vestigatum arbitror quare , cum S.
Thomas tam simplex omni ætatis suæ
tempore extiterit ut nemo magis , ver-
bis etiam adversus Gentiles tam fue-
rit temperatus , ut nusquam illos ne-
leviter quidem lacesciverit , tam hu-
milater atque abjecte de se senserit,
ut cum Summus Pontifex ad Archie-
piscopatum Neapolitanum evehere,
atque in Sacrum Cardinalium Col-
legium cooptare vehementer vellet,
omni animi contentione tantas digni-
tates sibi fugiendas existimaverit , ad
alios regendos sese prorsus inutilem
esse reponens ; nonnulli tamen ho-
mines in eum tantopere sœviant , at-
que multo crudelius , quam in Chris-
tianos olim Diocleianus ille perfidus,
atque post homines natos crudelissi-

mus , invehantur : iste enim , etsi fere , etsi barbare , nonnisi vitam Martyribus adimebat : at eorum improbi conatus in id unum collineant atque spectant , ut celeberrimum S. Thomæ nomen illustremque famam vel obscurerent penitus , vel saltem minuant , vel alios , si fieri potest , à sententia , quam æquissimè induerunt , de ejusdem Angelici Doctoris sanctitate ac scientia deturbent.

Si enim vel tantisper rem nobiscum cogitaverimus , facili negotio reperiemus , non aliam ob causam Hæreticos , aliosque malè affectos , malèque moratos homines tot dicteris S. Thomam pessundare , nisi quod videant eum esse suorum errorum certissimum debellatorem , atque Ecclesiæ Catholice , itemque Monarchicæ Potestatis propugnatorem strenuum : sic enim illi sibi persuadent , si S. Thomas à Cathedris , Universitatibusque se-

mel depellatur , facilius se ex pugnis , quas cum Catholicis inibunt , victoriam triumphosque reportatuross: Neque vero in hoc eos errare multum putem : nam armis , quibus altiora nostræ Religionis Mysteria fortiter propugnantur , è manibus Scholasticorum vel eorum socordiâ elapsis , vel Hæreticorum astutis erexitis , haud valde difficile erit præcipua Catholicae doctrinæ capita subvertere . Nemo enim poterit publico cum Hæreticis inito certamine , quæ ad prædestinationem , gratiam , et liberum arbitrium attinent , eâ quâ par est dexteritate defendere , nisi Canones Conciliorum memoria teneat , nisi in S. Aug. operibus sese diu multumque exercuerit , et usquequaque Theologiæ Scholasticæ præsidiis munitus sit ; ne in errorum foveas devolvatur , si vel liberum lædatur arbitrium , vel efficaciæ gratiæ quid-

quam detrahatur; cavendum est enim
maximè ne vel ad Pelagianorum, vel
Lutheranorum et Prædestinatianorum
syrtes scopulosque vitandos defera-
mur.

Quô acriori perspicaciorive quis-
piam ingenio pollet, eo in majora
errorum precipitia devolvitur, si men-
tis vela superbè tumidèque panderit,
neque pietatis gubernaculum in om-
nibus curet adhibendum, quô S. Tho-
mas prudenter sanctèque usus fuit,
dum omnes scientias naturales, ut
fidei famularentur, effecit, atque hunc
modum in disputando tenendum mo-
nuit, ut nequis vel authoritatibus ex
SS. PP. scriptis allatis uteretur nisi
humiliter, vel in rebus altissimis su-
pråque totam naturam positis, quid
verum foret inquireret atque inves-
tigaret, nisi probè conscientius morta-
lium neminem posse tot tantasque
res mente plenè atque cogitatione

complecti est: enim illud ab Spiritu
Sancto dictum: *ultiora te ne quæsie-*
ris, itemque: *Scrutator Majestatis*
opprimetur à gloria: Proptereaque S.
Thomas, Dei ope, non vero proprio
ingenii marte se veritates supernatu-
rales reperire posse existimavit: at-
que hinc quidem factum est, ut tan-
ta fuerit cumulatus scientiâ, ut ipse
intellexerit planeque tradiderit, quæ
ante ipsum nemo attigerat, atque ut
in ejus Summâ nunquam sane pro
meritis laudandâ secretiora nostræ Re-
ligionis mysteria expressa, et quan-
tum fieri potest, graphicè descripta,
tanquam per speculum tamen atque
enigmata videantur.

FINIS.

Cedat hoc opusculum in hono-
rem Dei omnipotentis, Beatissimæ,
ac Immaculatæ Virginis Mariæ, Doc-
torisque Angelici S. Thomæ, Fidei
dilationem, Regni nostri Hispani

felicitatem, omniumque Hominum
publicam utilitatem.


<i>Pag.</i>	<i>Lin.</i>	<i>Errata.</i>	<i>Lege.</i>
11.	4.	<i>humanitatus</i>	<i>humanitus</i>
17.	17.	<i>aulum</i>	<i>Paulum</i>
63.	9.	<i>inter</i>	<i>ut inter</i>
113.	12.	<i>dictioni</i>	<i>ditioni</i>
127.	17.	<i>latis</i>	<i>lactis</i>
139.	17.	<i>area</i>	<i>aera</i>
160.	15.	<i>prisci</i>	<i>priscis</i>
175.	18.	<i>secunda</i>	<i>secundæ</i>
189.	13.	<i>Sholasticis</i>	<i>Scholasticis</i>
196.	19.	<i>post cum</i>	<i>post eum</i>
217.	4.	<i>vocabit</i>	<i>vocavit</i>
224.	not. marg.	<i>Ludensis</i>	<i>Tudensis</i>
244.	20.	<i>præstavit</i>	<i>præstabit</i>











JURAMENT
TESTIMONI

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870

1870